

GAZZANIGA

ET

BERTIERI

THEOLOGIA DOGMATICA.

THEOLOGIA
DOGMATICA
IN SYSTEMA REDACTA

A FR. PETRO M. GAZZANIGA
ORDINIS PRAEDICATORUM
ET FR. IOSEPHO BERTIERI
ORD. EREM. S. AUGUSTINI
PROFESSORIBUS VINDOBONENSIBUS

IN QUATUOR TOMOS DIVISA

ADDITA IN CALCE

FRANCISCI VERONII
REGULA FIDEI CATHOLICÆ


TOMUS IV.



NEAPOLI,
Apud Januarium Mirelli bibliopolam
Via dicta Quercia Num. 17.
MDCCCXXX.



Ex Typographia Januarii Palma.



THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS SEPTIMA

SECTIO III.

DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.

PROOEMIUM.

Ex uberrimis actualis gratiae donis, quibus ad justitiam adipiscendam disponimur, nec non ex novi foederis Sacramentis, unde fructus passionis Christi Domini nobis applicatur, habitualem, sive gratiam sanctificantem acquirimus. Quamobrem recti ordinis ratio, qua si careas, nec completam perfectamque rerum notionem, nec claras distinctasque ideas ad scientiam omnino necessarias habere queas, postulat, ut de justificatione et merito sermonem instituamus.

CAPUT PRIMUM.

De Justificatione.

§. CCCLXVI.

Natura et indoles gratiae sanctificantis.

Gratia sanctificans, quae etiam habitualis dici solet, donum est adeo excellens, ut praeter Deum ipsum ea nihil sublimius esse queat. (*) Ea enim

---

(*) S. Thomas 1. 2. q. 113. *art.* 9. *ad* 2. ait: *Bonum gratiae unius majus est, quam bonum naturae totius universi.*

abstergit ac tollit animae maculas, Sanctitatis decore ornat, justitiam operatur ac virtutes caeteras, quae ad complendam Sanctitatem aptae accommodataeque inveniuntur: ea per Spiritum sanctum in cordibus hominum diffunditur, et inhaeret, ex inimicis nos Dei amicos reddit, atque secundum spem regni coelestis haeredes (§. XLVIII.); cujus naturam, ut magis perspicias, eam duplici sub aspectu consideres, oportet: nam si, uti ex Dei parte est, eam intuearis, ipse est in nobis, qui inhabitat, Spiritus Sanctus; si autem ex parte nostra, caritas est non quidem pertransiens, sed permanens, animoque nostro inhaerens (§. XLIX.). Et vero sanctificantis gratiae effectus omnes caritati in cordibus diffusae sacrae litterae attribuunt. Nam ejusdem munera sunt, delere peccata, nos Deo conjungere, ejus amicos ac filios adoptivos constituere, animam nostram reddere habitationem Spiritus Sancti, ac Spiritalem vitam eidem conferre. Haec autem omnia caritas praestat. Ac primum: peccati maculas abstergit: *universa* enim *delicta operit caritas* (Prov. X. 12.), tum ejusdem virtute anima nostra unitur Deo: etenim *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* (I. Joan. IV. 16.), unde etiam consequitur, ut homo justus sanctusque fiat, tantamque induat excellentiam, ut objectum reddatur Divini amoris, docente Christo Domino: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* (Joan. XIV. 21.). Ex caritate non minus fit, ut adoptiva in homine filiatio euascatur. *Videte*, ajebat Joannes (I. Joan. III. 1.) *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus*: ubi ipsa est, ibi et Spiritus Sanctus inhabitat: unde Paulus ad Romanos scribebat (V. 5.): *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: ipsa non minus spiritalem vitam animae confert, quandoquidem: *nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte* (I. Joan. III. 14.). His adde, caritatem esse, Jacobo teste, salutis aeternae causam

(1. 12.), *quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Unde fit manifestum, quod ad explanandam gratiae sanctificantis naturam, ut ad ignotam creatam qualitatem, aut ad ens accidentale Aristotelicum recurras, haud oportet. Paucis sanctificantem gratiam ita describimus: *Est caritas per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, ipsisque inhaerens, per quam signati Spiritu promissionis Sancto efficiuntur Divinae naturae consortes.*

SCHOLION. Quam dedimus gratiae sanctificantis descriptionem, ea consona est Tridentinis Patribus *Sess.* VI. Cap. VII. Nec quidquam efficit illud Apostoli 2. *ad Corinth.* XIII. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei,* unde non pauci deducunt Apostolum gratiam a caritate distinxisse; etenim particula *et* non semper realis distinctionis est signum; certe idem Paulus II. *ad Corinth.* I. 3. inquit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* nec tamen inferre potes, Deum Benedictum alium esse a Patre Christi Domini, aut misericordiarum Patrem a Deo consolationis distingui: immo in eodem objecto loco subditur, *et communicatio Sancti Spiritus,* an vero inferre quis poterit, S. Spiritus communicationem a gratia et caritate esse distinguendam? Minime gentium: nec itaque gratiam a caritate distinctam voluit Apostolus. Confer Berti *de Theol. discip. lib.* 19. C. 1. et celebrem Augustinianum Theologum Fulgentium Bellelli lib. I. *mentis Augustini* cap. VII. et dissertat. Homoboni de Bonis Mediolani 1755. *de natura Divinae gratiae.*

§. CCCLXVII.

Jamvero ad nomen, indolemque ipsam justificationis explanandam veniamus. Vox ista non uno in sensu a sacris scriptoribus accipitur. I. Pro externa justitiae declaratione, quemadmodum in forensibus judiciis usuvenit; ita Isaias (V. 23.) inquiebat: *Qui justificatis impium pro muneribus; et justitiam justi aufertis ab eo.* II. Pro lege Divina proponen- Quid justificatio?

te nobis justitiae praecepta: *Utinam*, in Psalmis legimus (Ps. CXVIII. 6.), *dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.* III. Pro ipso animae ornatu et decore, quo sancti justique constituimur, quemadmodum Paulus ad Romanos scribebat (II. 5.): *qui enim mortuus est*, nempe cum Christo per baptismi Sacramentum, *justificatus est a peccato.* IV. Pro ejusdem justitiae incremento, quo sensu habetur in Apocalypsi (XXII. 11.): *qui justus est, justificetur adhuc.* Justificatio, quam ordine tertiam descripsimus, ea est, de qua contentionis funem cum heterodoxis ducimus, iis arbitrantibus, nos haud veram inhaerentemque justitiam acquirere, ac peccata minime deleri; sed Deum, quemadmodum in forensibus judiciis fieri solet, animae maculas tantum tegere ac condonare. (*) Age vero, gentium Doctore facem nobis praebente, rem ipsam explicemus: *Gratias agentes*, inquit (Ad Coloss. I. 12.), *Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Hisce in verbis, uti bene ac sapienter Tridentini Patres docent (Sess. VI. c. IV.), *justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Salvatorem nostrum.* Quam post Evangelium promulgatum sine baptismo, aut ejus voto evenire non posse recte ex Joanne (III. 5.) inferunt: immo ut uberiorem justificationis habere queamus notionem, addunt (Sess. VI. c. 8.), *non esse solam peccatorum remissionem, sed et sanctificationem, et Renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum.*

(*) Scholion. Ajunt illi, justificationem idem esse ac graecum δικαιῶν, et Hebraicum צדק et hinc accipiendam eam esse in forensi significatione, secundum quam judex accusatum criminis absolvit sive ille reus, sive innocens sit, multaque exempla hunc in finem congessit Meisnerus *phil. sobr.* p. 2.

sect. 1. q. 28.; consentit etiam Bullus *harm. Apost. dissert. I.* cap. 1. §. 2. Ernestus tamen Grabius *in annot.* ad laudatum Bulli locum, asserit, eum non pro solita adcuratione dixisse forensem verbi δικαιοῦν significationem, in sacris litteris maxime obviam et familiarem esse; atque ex ipsis tum veteris tum novi foederis libris plura testimonia profert, unde contrarium evincitur: ejusdem etiam mentis est Grotius Equidem non ignoro adversarios, ut nomen justificationis ex forensi judicio desumptum probent, inniti quam maxime Apostolo ad Rom. V. 8. ubi verbum *justificare*, opponitur verbo *accusare* et *condemnare*. At neque uos diffitemur eo sensu nonnunquam accipi; quod volumus, est, pro ipsa nobis adhaerente justitia simul esse accipiendum, quae veritas adeo perspicua est, ut Protestantes non pauci, uti Beza in Tit. III. 7. *Synop. pur. Theol. disp. 33. th. 3.* Forbesius *de justif. lib.* 3. c. 4. n. 2. aliique hac in significatione coacti sint accipere verba haec ad Rom. VIII. 30. *quos praedestinavit, hos et vocavit, quos vocavit, hos et justificavit, quos justificavit, illos et glorificavit*, atque ad *Titum* III. 7. *ut justificati gratia ipsius haeredes simus, secundum spem vitae aeternae.* Vid. Wallemburgicos de *justif.* c. V. Accedit his, quod etsi daremus justificationis nomen ex forensi judicio acceptum fuisse, perperam tamen ad solam, quam ibi obtinet, significationem adversarii restringerent. Nam dicant ii nobis, ubinam gentium, sententiam absolventis judicis quisque applicare sibi per fidem debeat? Quo fit, ut Acatholici ipsi insigne forensem inter ac Christianam justificationem statuere discrimen debeant. At ad eorum systema facilius noscendum advertas, duplicem Acatholicos plures statuere hac in parte Divinam gratiam: una est, qua Deus peccatorem declarat absolutum, sed eum non immutat; tegit, sed non delet peccata; atque id justificationis munus esse contendunt. Altera gratia est renovatio interior per Spiritum Sanctum, atque hanc regenerationem vocant, et sanctificationem. Has inanes subtilitates haud agnoscit Catholica Ecclesia, atque quotquot justificantur, eos simul inhaerente gratia donari ex

sacris litteris et traditione compertum habet. Confer Bossuet *refut. du Cath. du sieur Ferry* Sect. II. ch. 3.

Vigentem in Ecclesia doctrinam de justificatione luctuosi Schismatis causam praetexuerunt Lutherus in cap. 2. *ad Gal.* Melanchton in *epit. renov. doctrinae tom.* 2. Calvinus in *Antid.* Sess. VII. p. 291. quibus adstipulati sunt Centuriatores *cent.* 2. c. 4. Paraeus adversus Bellarminum lib. 2. *de justif.* Vid. Cochlaeum *in confut. Articulorum Lutheri.* Verum quam parum solida fuerint horum motiva, qui magis ingenui sunt inter Acatholicos ipsi agnovere; Gentiletus in primis *in exam. Conc. Trid. ad Can.* Sess. VI., inquit: *Haud multum refert solam fidem, quae ut ante dictum est, a caritate sejungi non potest, nostrae justificationis causam esse dicamus: an etiam caritatem cooperantem esse dicamus. . . . . Nam cum una sine altera esse nequeat, ambas conjunctim causas instrumentales dicere possumus.* Crocius *de justif.* cap. 3. n. 2. justam separationis causam non agnoscit, quod Catholici aliter sentirent de justificatione, quam Calviniani. Apologia Remonstrantium meram logicam pugnam esse ait; Forbesius *de justif.* p. 61. omnibus rite expensis libratisque *controversiam hanc forte verbalem et notionalem magis, quam realem* esse affirmat; Grotius *annot. ad consult. Cassandri Art. 4. pag. 14. de justif.* logomachiam vocat. Immo Bullus in *Harm.* cap. 4. quod sola fides justificet, gravem errorem esse pronuntiat. Praestat audire Cardinalem Richelium in *sua methodo* lib. 3. edit. II. p. 383. inquit ille, quod licet adversarii diverticula quaerant, in magnam viam, ubi nos sumus, recidunt. Asserimus nos, quod fides ac bona opera ad justificationem disponant; affirmant illi, dispositionem hanc ad fidem solam pertinere; sed hanc fidem vivam intelligunt, quae secum fert fidem, spem, dilectionem, ex quo datur intelligi, etsi ii alio ac nos modo loquantur, idem tamen nobiscum tenere. Nos dicimus hominem justificatum non solum a peccato absolutum esse, verum etiam indutum gratia ac sanctitate. Et quamvis praetensi reformati inquiunt, justificationem nil

aliud producere, quam simplicem peccati absolutionem, qua Deus peccata nobis non imputat, contendentibus tamen illis, quod fides justificans nempe fides viva obtinet vitae renovationem ac gratuitam reconciliationem; ad id deveniunt, quod nos profitemur, quum ipsorum renovatio vitae sit sanctificatio, quam nos dicimus (ordinarie loquendo) a peccati absolutione sejungi non posse. Confer Le Fevre ch. II. §. I. et Wallemburgicos *de justif.* cap. 75. n. 16. Berti Lib. 19. cap. 4.

§. CCCLXVIII.

Ad hanc quidem fides disponit.

Non eam profecto mentem unquam habuit Catholica Ecclesia, quod fides adultos ad justificationem haud disponat, immo Spiritus Sancti oraculis instructa cum Paulo (Ad Hebr. XI.) docet, *sine fide impossibile esse placere Deo.* Scit jussisse Christum, erudiendos primo in fide populos, postea sacro baptismatis fonte esse renovandos (Matt. XXVIII. 19.); item rem habet exploratissimam, eum, qui non credit jam esse judicatum (Marci XVI. 16.). Quid? quod Augustino teste (Lib. *de pecc. Orig.* cap. XXIV.), absque fide in Christum *nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, et Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat.* Hinc Tridentini Patres inquiunt (Sess. VI. c. 8.), dixisse Apostolum, per fidem homines justificari, eo quod ipsa est secundum perpetuum Ecclesiae consensum, *Humanae salutis initium, fundamentum et radix. Initium* est, quoniam Deus salvos nos reddere volens, unigenitum primitus Filium suum proponit nobis, cujus gratia salutem nostram sperare ac adipisci debemus: *est fundamentum*, eo quod stabilitate sua magnum justificationis nostrae aedificium sustinet: *radix* non minus est, virtutem suam undique diffundens, cujus efficacia caetera, quae nos justificant, dona consequimur. Sapienter Augustinus (*De praedest. Sanctorum* cap. 7.): *Ex fide autem ideo* (dicit Apostolus) *justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.*

Scholion. De adultorum justificatione agimus tantum; nam si de parvulis sermo sit, ii etsi ad fidem excitandam nondum sint idonei, ex universae tamen Ecclesiae traditione in peccatorum remissionem baptizantur (§. CCXXX. CCXLI.), quorum etiam exemplo constat, quantum hallucinentur Acatholici, qui justificationem omnem soli fidei, quam ipsi usu rationis carentes nequeunt habere, attribuunt.

§. CCCLXIX.

Sed sola non sufficit.

At vero etsi Sacrorum librorum oraculis, et Ecclesiae inhaerentes doctrinae fidem debitis ornavimus encomiis, atque justificationis nostrae initium, fundamentum, radicem diximus (§. praec.), eam solam ad assequendam justitiam sufficere jure meritoque negamus. Nam multa sunt, quae ad hanc consequendam peccatorem disponunt; quippe qui excitari primo ac adjuvari Dei gratia debeat; cum fidem ex auditu concipere, ac simul credere vera, quaecunque nobis sunt revelata, et praecipue Deum esse, qui per gratiam suam, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, impium justificat. Hinc fit, quod ipse miserum tristemque statum suum considerans, justitiae Divinae timore percellitur, ac, quanta sit Divina misericordia serio recogitans, in spem erigitur fiditque Deum ob merita Christi futurum fore sibi propitium; unde eum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipit; ac propterea adversus peccata odio movetur, detestaturque; suorum item scelerum poenitentiam agit, novam inchoare vitam, et singula Dei mandata observare serio proponit. Quae a Patribus Tridentinis sancita (Sess. VI. cap. 6), sacrarum Scripturarum oraculis prorsus consentanea sunt. Ac primum: quidquid boni habemus, ipsae piae cogitationes a Divina gratia, quae nos praevenit, adjuvatque, repeti debent (§. CLXXVI. seq.). Paulus docet (ad Hebr. XI. 6.), *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*; atque in homines haud credentes ab ipso Salvatore certa damnationis sententia fertur (§. CCXVI.): timori, spei, caritati salutem nostram sacri libri attribuunt (§. CCCLV. Sch.); quod

poenitentiam agere debeamus; odio habere, ac detestari peccata, novamque inchoare vitam frequenter utriusque foederis oracula inculcant (§. CCXC. CCXCIX.): Divina mandata sancte custodienda esse, Christus Dominus jussit (Matth. XIX. 17.), regenerationem vero nostram, justitiam, sanctificationem, peccatorum remissionem, vel baptismatis Sacramento, vel poenitentiae debemus (§. CCXLII. CCXCIV.). Quid! nonne Doctor gentium eam insinuat fidem, quae per dilectionem operatur? (ad Gal. V. 6.) Annon inquit, quod si quis tanta praeditus esset fide, quanta montes ipsos transferre posset, tamen absque caritate nihil ei prodesset (I. ad Corinth. XIII. 2.)? An fidem, quam in Abraham commendavit plurimum, ab operibus separatam esse voluit? Minime gentium; sed illam, qua insigne obedientiae exemplum dedit cum unigeniti Filii sua oblatione conjunctam (ad Hebr. XI. 17.), qua de causa Jacobus de Abrahamo ipso scribebat (cap. II. v. 21. 22.), quod *fides cooperabatur operibus illius*, *et ex operibus fides consummata est*; addebat etiam, fidem sine operibus salvare non posse, atque uti mortuam fore reputandam (Ib. v. 14. et 26.). Hallucinantur itaque, quotquot asserunt, justificationem nostram soli fidei esse tribuendam.

Scholion. Heterodoxorum pars maxima, fidem qua justificationem se obtinere dicit, habere etiam comites virtutes alias, poenitentiam scilicet, fidem, caritatem affirmat. Conf. Wallemburgicos *de justif. cap. 75.* §. II. Nihilominus haec bona opera non pauci fidei quidem *praesentia* esse dicunt, at, quum in ipsorum sententia nihil plane ad justificationem conferant, veluti *absentia* spectari posse contendunt. Vid. Buddaeum lib. IV. cap. 4. §. 10. Ipsi adhuc fidem, ut opus nostrum non considerant, nec ajunt propter ipsius virtutis dignitatem nos justificari, sed quia Christi merita apprehendit. Attamen inter Anglos contrariam sententiam tenuerunt Bullus in *Harm. Apost. ac in dissert.* cui titulum fecit: *Doctrina Jacobi de Justificatione ex operibus explanatur, ac defenditur*: tum in altero: *Consen-*

sus Pauli cum Jacobo liquido demonstratur atque aliis in scriptis Apologeticis, Caveus *antiq. Apostol. in vita Pauli* Cap. IX. §. 7. Grabius, Millius, Tillotsonus, alii.

§. CCCLXX.

Solam fidem justificandi vim habere congestis non paucis sacrorum librorum testimoniis probare adnituntur adversarii. Ajunt, Apostolum ad Romanos (III. 24.) scribere, nos *gratis*, *Dei gratia justificari*, quo fit ut opera omnia ipse excluserit, quumque duo sint in homine, quae hic in censum venire queant, opera, et fides; atque eadem in Epistola (XI. 6.), opera omnino excludat, sola fides tantum relinquitur, unde homines justificari valeant. Idem Doctor gentium insinuat Galatis (c. III. 11.), *quoniam in lege nemo justificatur*, *manifestum est*: *quia justus ex fide vivit*: unde si nec per legem, et opera justitiam adipiscimus, consequens est, ut id soli fidei attribuatur. Omnium Prophetarum hanc esse doctrinam fidem facit in Actis Apostolicis Petrus (X. 43.), ajens: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent*, *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes*, *qui credunt in eum*. At rem plane conficit Paulus docens (*Ad Rom.* III. 28.): *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Scholion. Praecipua haec sunt Buddaei argumenta *lib.* IV. C. IV. §. *XI. sch.*

§. CCCLXXI.

Enodantur. Quae tamen difficultates simplici, apertaque catholicae fidei expositione penitus evanescunt. Credimus enim, ac constanter tenemus, aeternum Patrem ob unigeniti Filii sui merita nos in gratiam recipere, et peccata nobis condonare. Ipse est, qui prior dilexit nos; ipse nos elegit, ipse per infinitam misericordiam suam prius nos quaerit, quam per fidem ad illum accedamus; ipse omnis boni animi motus, virtutum omnium auctor est atque largitor. Hac de causa, dum justitiae Divinae timore concutimur ad Dei confugimus misericordiam, in nobis

spes enascitur, quoniam confidimus Deum nobis per Christi merita futurum fore propitium (§. CCCLXIX.). Quapropter justificationis nostrae *causa efficiens est Deus misericors, qui gratuito nos abluit. . . meritoria autem dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum inimici essemus, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione, in ligno crucis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit* (*Conc. Trid.* Sess. VI. cap. VII.). Hinc etsi Ecclesia doceat, oportere, ut fide, operibusque bonis ad justitiam assequendam disponamur, (quomodo enim Deus eos in gratiam reciperet, qui nec credunt, nec diligere ipsum incipiunt? Quomodo iis remitteret peccata, qui vitia sua odio non habent nec detestantur?) nihilominus *gratis* adhuc nos justificari tenet, *eo quod nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* (Ib. cap. VIII.) Hinc apparet, bona opera in adultis conditionem esse, sine qua justificationem Deus haud tribuit, at eandem nulla ratione eos posse promereri. Age vero Apostoli mentem nunc penitius inspiciamus. Justificationem ipse attribuit fidei, non quasi sola sufficeret; sed quia justitiae nostrae initium est, fundamentum, et radix (§. CCCLXVIII.). Et quidem sicuti Gentium Doctor ait nos justificari per fidem; ita per eandem ait nos salutem consequi (*Ad Rom.* X. 9.), item Christum Dominum in nobis habitare (*Ad Eph.* III. 17.), atque justum vivere (*Ad Heb.* X. 38.). Sed dicant quaeso adversarii, an nos per fidem solam exclusis operibus bonis aeternam salutem adipiscamur? At quonam loco habituri erunt Christi Domini sententiam, eos ad vitam aeternam fore vocandos, qui misericordiae opera exercuerint (*Matth.* XXV. 34.)? Soliusne virtute fidei in nobis habitat Christus? Minime: cum ipse Paulus id caritati praesertim attribuat (*Ad Rom.* V. 5.), spiritalem non minus vitam fideli mandatorum custodiae (*Matth.* XIX. 17.), caritati (*Lucae* X. 27.

28.), Salvator ipse adscribit; ac dilectus ejus discipulus absque verborum involucris affirmat, quod, *qui non diligit, manet in morte* (*Joan.* I. III. 14.). Concludamus itaque oportet, quemadmodum laudatis jam locis fidem commendans Apostolus, virtutes alias non excludit, ita neque in admirando justificationis opere. Verum clamant heterodoxi: Nonne opera excludit Paulus? Utique: sed opera viribus arbitrii elicita sine gratia, ac fide; sed opera legis Mosaicae, quae non pauci instaurata cupiebant, atque ad salutem adhuc necessaria esse effutiebant.

Scholion. Optime observatum est a Cl. Wallemburgicis de *just.* c. 75. §. I. fidem accipi in sacris litteris etiam *pro lege fidei*: haec autem, lex ipsa est Evangelica, quae caritatem complectitur, ac caetera, quae Christus nobis praecipit. Consona Paulo est ad Rom. III. 26. haec expositio: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* Hujus autem nomine intelligit, quod docuerat cap. II. 28. *Non enim qui in manifesto Judaeus est: neque quae in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Judaeus est, et circumcisio cordis in spiritu non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, atque cap. VIII. 2. *Lex enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Jam vero quum lex fidei, lex spiritus, circumcisio cordis idem sint, bene infertur, legem fidei includere universam Evangelicam legem: atque hoc sensu justificari hominem per fidem absque operibus legis verissimum est, ac doctrina Apostolica. Quam explanationem probat etiam Acatholicus scriptor Encyclopaediae Iverdon *art. foy.* Hinc etiam conciliantur facile, quae prima fronte pugnantes videntur Pauli ac Jacobi sententiae. Unde Augustinus *lib.* 83. *quaest.* q. 16. scribit: *Qui putant istam Jacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Apostoli Pauli sententiae, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*, et alio loco: *Sed fides, quae per dilectionem operatur.* Et iterum.

Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Advertas tamen velim, justificationem nostram in initio ac progressu considerari posse: initium gratuitum prorsus est: at quoniam augendo in nobis caritatem, sanctificationis quoque donum in nobis augetur; hinc justificationis augmentum bonis operibus tribuitur; attamen cum bona opera nostra sint etiam Dei donum, hanc ob causam gratuitum dici non minus potest sanctificationis nostrae augmentum. Confer Bossuet ch. 8.

§. CCCLXXII.

Quid fidei nomine hic intelligi oporteat.

Gravis adhuc nos inter ac Heterodoxos controversia exoritur, quid fidei ad justificationem disponentis nomine intelligere oporteat. Triplicem ii statuunt fidem: *historicam*, qua fidei creduntur dogmata: *miraculorum*, unde patrandi signa potestas acquiritur: *Divinarum promissionum*, qua Christi se apprehendere merita, ejusdemque justitiam sibi propriam facere dicunt (Buddaeus lib. IV. c. IV. §. 10.); atque postrema hac tantum fide justificationis nostrae negotium omne persolvi autumant. Verumtamen eos in errore versari inde conficitur, quod sacrae litterae justificationis nostrae exordium ex fide, qua revelatas veritates credimus, repetunt. Et quidem Salvator discipulis suis jubebat (*Marci* ult. 15.): *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joannes autem (*Joan.* XX. 31.): *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam aeternam habeatis.* Paulus non minus (*Ad Rom.* X. 9.): *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus suscitavit a mortuis, salvus eris.* Hanc porro descriptam fidem, eam esse, qua revelatis articulis assentimur, patet per se. Quid? quod vetustissima Ecclesiae consuetudine firmatum est, ut Catechumenis traderetur symbolum, in quo praecipua fidei capita credenda continentur; illud autem memoriter discere, ac recitare teneantur. Porro ipsis mandatum fuisse, ut ad gratiam remissionis peccatorum obtinendam, consequendamque justitiam, veluti solum medium fidem Divinarum pro-

misssionum excitarent, qua Christi justitiam suam facerent, minime legimus; fateantur itaque adversarii oportet, Doctrinam suam antiquae ac primitivae Ecclesiae ignotam fuisse.

§. CCCLXXIII.

Argumenta adversariorum.

Nec sibi desunt, qui catholicam oppugnant veritatem. Nonne, asserunt, Salvator paralytico dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX. 2.)? fides itaque unde peccatorum remissio obtinetur, firma est in Divinas promissiones fiducia. Nonne Jacobus (cap. I. 6.), Christi fidelem edocet, ut *postulet in fide nihil haesitans*? Et quid aliud sibi volunt haec de Abrahae justificatione Pauli verba (*Ad Rom.* IV. 16.), *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio. . . in repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quaecumque promisit potens est facere, ideo et reputatum est illi ad justitiam*, nisi quod ex promissionum fide justitiam homines assequantur?

§. CCCLXXIV.

Solvuntur.

Non ii profecto sumus, qui arbitremur, fiduciam in divinam misericordiam, ejusque promissiones eliminandam esse; hanc enim ex eodem, quod nobis opponitur Paralytici facto necessariam dispositionem esse ad justitiam adipiscendam jam ostenderant Tridentini Patres (*Sess.* VI. c. VI.). At fiducia haec ad spem pertinet, enasciturque ex fide, quemadmodum docet Paulus (*Ad Eph.* III. 12.), *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* Perperam itaque fiduciam cum ipsa fide confundunt Acatholici; perperam ejus virtute sola nos justos fieri autumant. Paralyticus autem Divina collustratus gratia, fidei, qua in Christum promissum Liberatorem credebat, sincero peccatorum suorum dolori, caritati suae justificationis initium debuit: unde etiam oriebatur fiducia, quod Salvator cum valetudine corporis peccatorum remissionem sibi vellet impertiri. Quod si de justificatione sua certitudinem habuit, inde repeti debet, quod Christus cordis intima perspiciens, ac Divina authoritate

pollens hanc ei fuerat elargitus. Jacobum, quomodo opponere nobis queant, non video, ipse enim est totus, ut ostendat, justificationem in adultis sine operibus bonis haud contingere, neque fiduciam solam, sed orationi unitam proponit nobis. Quas vero ad Deum dirigimus preces, hae fieri debent ut oportet; hunc autem in finem fides historica, aliaeque bonae dispositiones requiruntur. Causam tamen Paulo judice se vicisse adversarii jactitant. Age vero, an res ita se habeat, inspiciamus. Doctor Gentium edocere voluit, ex carnis generatione justitiam haud esse repetendam; unde gloriari minime posse Judaeos, quod semen sint Abrahae. Quandoquidem ad Christi haereditatem Gentiles etiam vocati fuere, qui per fidem filii Abrahae censentur, ac una sunt promissionum participes, quas Deus eidem fecit. Unde omnibus, qui salutem consequi volunt, jubet, ut Abrahae imiteutur fidem, quam tamen otiosam haud fuisse, nec ab operibus sejunctam Paulus ipse, ac Jacobus demonstrant (§. CCCLXIX.), Abrahae autem fides non in eo reponitur, uti confingunt Heterodoxi, quod quis merita Christi apprehendat, credatque certo remissa sibi esse peccata, sed quod ille noscens Deum summe veracem ac esse omnipotentem, eidem pollicitanti crediderit, effoeta jam sua et uxoris aetate, adhuc futurum fore multarum gentium Patrem. Nec ibi de initio justificationis Abrahae fit sermo, sed de ejus incremento: quandoquidem jam pridem vir justus erat ac sanctus, quicum Deus benigne alloquebatur. (*Gen.* XII. et XIII.).

§. CCCLXXV.

Porro justificationem nostram ab externa justitiae Christi imputatione haud esse repetendam, sed gratia ac caritate per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa perfici cum Tridentinis Patribus (*Sess.* VI. *Can.* XI.), constanter profitemur. Quam catholicam doctrinam tradiderat non uno in loco Apostolus Paulus: *Caritas Dei*, inquit (*Ad Rom.* V. 5.), *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Addit (VIII. 15.): *Accepistis spiritum adoptionis, in quo cla-*

Justificatio non fit imputatione externa justitiae Christi.

mamus Abba Pater, tum ad Titum scribens haec in rem nostram egregia habet (III. 5. seq.): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Unde fit manifestum, justitiam, quam peccator consequitur, minime esse actum judicis peccatorum remissionem annuntiantis, ac nobis externe imputantis Christi justitiam; sed actionem esse omnipotentis creatoris, qui nos regenerat, renovat, sanctificatque. Rem autem penitus conficit comparatio praeclara, quam Adamum inter ac Christum Doctor gentium instituit (ad Rom. V.), ubi parentem primum culpae, et Salvatorem auctorem gratiae constituit. Jamvero, quemadmodum originalis noxa macula est animae nostrae inhaerens, non imputatum nobis ipsum Adae delictum; ita, dum justificamur, inhaerentem nobis justitiam ac sanctitatem recipimus; non vero extrinsecus tantum Christi justitia nobis imputatur. Praeclare Augustinus (Lib. I. *de pecc. mer.* c. X.): *Legimus in Christo justificari, qui credunt in eum propter occultam communicationem, et inspirationem gratiae spiritalis.*

Scholion. Calviniani leue multi per imputationem extrinsecam justitiae Christi nos justificari contendunt, quorum tamen non pauci inhaerentem etiam in nobis gratiam admittunt, quam tamen a justificatione ipsa sejunctam volunt (§. CCCLXVII. Sch.), redarguuntque Catholicam Ecclesiam, quae alterius est doctrinae: ita Moulinius in Clypeo fidei, Ferry, aliique, quibus praeter alios ex Lutheri asseclis conciuit Buddaeus lib. IV. cap. 4. §. II. et XVI. Sch. Verum distinctio haec justificationem inter et sanctificationem post Lutherum, ac Augustanam confessionem nata est, ut ostendit Bossuet lib. III. *variationum.* Praetermitto Osiandrum asserentem justificationem nostram, esse illam ipsam justitiam, qua Deus *essentialiter* justus est: id enim ut delirium insanum confutavit Calvinus ipse lib. 3. instit. cap. II. §. 5.

§. CCCLXXVI.

Quaedam difficultates.

Qui ex sola imputatione justitiae Christi autumant nos justificari, Paulum sibi suffragari confidenter asserunt; ipse enim ad Corinthios scribens de Christo Domino, inquit (I. Epist. cap. I. 30.), *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio, et redemptio*, immo subdit (II. epist. V. 21.), *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*: quo fit, ut sicuti ipse sola extrinseca peccatorum nostrorum imputatione peccatum fecit; ita et sola externa ejusdem Salvatoris imputatione nos justi constituamur. Quod verbis non ambiguis docet Augustinus (*In Ench.* cap. 41.): *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso; sicut ergo peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in quo crucifixus est, demonstravit.*

§. CCCLXXVII.

Enodantur.

At non ea Doctoris Gentium mens fuit. Asserit enim Christum Dominum factum a Deo nobis justitiam ac sanctificationem nostram, propterea quod passione sua ac morte haec nobis promeritus est, atque gratia sua in nobis producit, efficitque; quidquid enim post Adae lapsum habemus boni, ac salutaris, id totum intuitu Salvatoris, ejusdemque largitate recipimus (§. CLIX.). Itaque factus est Christus justitia ac sanctificatio nostra, quoniam de plenitudine ejus omnes accipimus (Jo. I. 16.), ejusdem gratia renovamur, justitiam sanctitatemque nobis inhaerentem obtinemus. Quod, ut adhuc percipiatur clarius, considerandum diligenter est, Apostolum scribere, Christum ita factum esse nobis justitiam, quemadmodum sapientiam, ac sanctificationem. An sapientia nostra imputata est nobis ipsius Christi sapientia? Perperam: an nostram sanctificationem censere debebimus imputatam nobis ipsius Christi sanctificationem? Nequaquam: Acatholicorum enim pars maxima justificationem a sanctificatione secernens (§. CCCLXVII. Sch.) hanc per inhaerentem gratiam nos recipere judicat. Nec

in alio Apostoli loco praesidium sibi quaerant adversarii. Nam hoc unum ipse contendit: scilicet Salvatorem factum esse peccatum, sive victimam ac sacrificium pro delictis nostris, ut nos pretioso ejus redempti sanguine, ac Deo reconciliati (§. LII. CV.) non virtute Mosaicae legis, non ex nostris meritis, sed passione sua, ac per spiritum S. in nobis inhabitantem, justitiam ac sanctitatem consequeremur. Augustini autem comparatio in eo consistit omnis, quod sicuti peccata nostra, mortis Christi causa fuerunt, ipse enim innocens erat, impollutus, sanctissimus; ita justitia Dei et Salvatoris nostri meritoria fit, ac efficiens causa nostrae justificationis. At putavitne Augustinus ex imputata Christi justitia nos fieri justos? Apage: nam per occultam communicationem et inspirationem gratiae id contingere affirmavit (§. CCCLXXV.). Clarius adhuc expressit mentem suam scribens (*De spir. et lit.* n. 18. Vid. *Serm.* 131. n. 9.), *Quae ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicuti Domini est salus* (Ps. III. 9.), *qua salvos facit.*

§. CCCLXXVIII.

Nec sola extrinseca peccatorum remissione justificatio absolvitur.

Ex recensitis sacrorum librorum oraculis (§. CCCLXXV.) etsi sponte jam fluit, extrinseca peccatorum remissione justificationem nostram minime absolvi; tamen ut ne victi esse videantur heterodoxi, ea congerunt Scripturarum loca, quibus peccata nostra a Deo tegi, cooperiri, non imputari asseritur (Psal. XXXI. 1. et 2. Ps. LXXXIV. 2. Ezech. XXXIII. 16. II. ad Corinth. V. 19.), indeque peccatorum remissionem extrinsecam penitus esse, concludunt. Nihilominus animadvertere satius fuisset, magnum justificationis nostrae opus, meritis unigeniti Filii sui comparatum nobis, ut mentibus nostris haereret firmius, non uno tantum sub aspectu, a Deo voluisse describi. Prudentis itaque viri est, ac in sacris litteris exercitati, diversos hosce dicendi modos inter se comparare, ut amplitudo, ac dignitas tanti beneficii facilius percipi queat. Jam vero Deus ipse Isaiae loquens ore inquit (XLIII. 25.): *Ego sum, qui deleo iniquitates*

tuas propter me. Micheas vero afflante sancto Spiritu scribebat (VII. 18. 19.): *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum haereditatis tuae. . . . projicis in profundum maris omnia peccata nostra.* Regius Propheta jam dixerat (Ps. CII. 12. Confer et Ps. L.): *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Annon Joannes de Christo Domino inquit (Apocal. I. 5.): *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo?* Nonne Paulus eos alloquens, qui gravissimis sceleribus contaminati erant, ait (I. ad Corint. VI. 11.): *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri?* Quae quisquis cum iis, quibus se tuentur adversarii, sacrae Scripturae o[illegible] conferat, luce meridiana clarius percipiet [illegible]n animae maculas tegere, ac operire, eo quod delendo eas, efficit, ut amplius non appareant; non imputare, quoniam lavat, mundatque. Sane quis sapiens in animum inducat, ut credat, id quod longe a nobis fecit, adhuc permanere? quod delet, in nobis esse? maculas, quas unigeniti Filii sui pretioso sanguine abluit, emundavitque, tectas tantum esse, non ablatas (Vid. Bossuet *confut. du Catech. de Ferry* ch. VI.)? Ecclesiae Patres hujus catholicae veritatis testes sunt disertissimi. Cyprianus vocat baptismum (Ep. II.) *mortem criminum*, Chrysostomus (In Ps. L.) docet Divinam gratiam sordes peccati perfecte abstergere, ac nivis candorem conciliare. Theodoretus (In Ps. III.) asserit, Deum ita peccata remittere, ut obliteret, nullumque eorumdem appareat vestigium. Augustinus quemdam refellens Pelagianum, qui ex Catholicorum sententia consequi ajebat, baptisma peccata radere, non tollere, scribit (Lib. 1. *contra duas Ep. Pelag.* cap. 13.) : *Quis hoc nisi infidelis affirmat? Dicimus autem baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere.* Quamobrem merito Tridentini Patres diris eos devoverunt (Sess. V. Can. V.), qui radi, et non tolli peccati originalis maculam affirmabant.

Scholion. Perperam itaque Acatholici ex Ecclesiae de justificatione doctrina imminui, ac obscurari Christi merita affirmant; immo splendent magis, coruscantque. Ut enim loquar cum magno Bossueto ch. VII. ajunt Acatholici peccata nobis haud imputari, id est, Deum ob Christi merita ea non punire; nos vero propter ejusdem Salvatoris merita ea in nobis non adesse affirmamus: volunt ii Christi merita adeo magna esse, ut ad tegenda crimina nostra sufficiant: contendimus nos, ea sufficere ad maculas nostras penitus delendas: contendunt, justitiam unigeniti Filii Dei promereri, ut fideles censeantur, quasi justi essent; nostra doctrina est, tanti esse meriti, ut revera sint justi. Advertendum tamen est, inter Heterodoxos reperiri non paucos asserentes peccata nostra eo sensu non auferri, quod in viris etiam sanctissimis maneat adhuc concupiscentia, quae ab agendo bono impediri, inclinatque ad malum; fateri tamen peccata gratia Christi omnino deleri: hi, si nolint, concupiscentiam in nobis permanentem esse verum peccatum, parum aut nihil a Catholico dogmate recedunt; sicut ii, qui nec culpae nec poenae reatum in nobis esse contendunt; peccatum autem eo sensu manere dicunt, in quantum e vero semper dici potest, hominem, cui remissa sunt peccata, fuisse aliquando peccatorem. Quam postremam sententiam suam fecit Molanus apud Bossuet *Oeuvr. post.* p. 53.

Nec veritati stabilitae illud Isaiae derogat: *Facti sumus, ut immundi omnes, quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae*; aut quod *Ps.* 142. legitur: *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Isaias namque futura praenuntians ad legales purificationes abrogata jam Mosaica lege respicit; has vero veluti justitias reputabant Judaei; etsi hoc tempore rerum immundarum ad instar habendae essent. Quod si de Judaeis sui temporis loquutum fuisse Prophetam asseras, nec omnino repugnabo: sed legales ritus, quod ipsi, veluti justitiam elargirentur, considerabant, hanc conferre sua virtute non valebant (§. CCCLVI.): unde, qui in ipsis absque fide venturi Reparatoris confidebant, contaminati

potius, quam sancti reputandi erant. Psalmista de solis culpis levioribus loquitur, in quas viri etiam justi cadunt, quo fit, ut et ipsi Divina Clementia opus habeant: probos tamen viros sanctitate, ac justitia exornatos existimasse, inde patet; quod scribat *Ps.* XVII. 21. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam.* Nec juvat adversarios illud *ad Rom. VII.* 20. *Jam non operor ego illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ibi enim peccati nomen ampliori significatu accipitur, scilicet pro concupiscentia, quae etsi vera culpa non est, ex peccato tamen nascitur, ac ad illud inclinat. Vid. PP. Tridentinos *Sess. V. Can. V.*

§. CCCLXXIX.

Quorum alia mortalia sunt, alia venialia.

Absurdam judicant, quam de justificatione proposuimus doctrinam, Acatholici. Vos, ajunt, asseritis, Deum, quum impium justificat, auferre penitus, ac delere peccata: sed non minus arbitramini, qui peccator non sit, hominem esse neminem. Non id est Andabatarum more secummet turpiter pugnare? At pace eorum dicam, quam carpunt Ecclesiae doctrinam, eos non satis assequi. Quandoquidem peccata alia sunt gravia, alia levia, ac venialia; illa delentur penitus in anima justi, (I. ad Cor. VI. 11.) ista cum justitia, ac sanctitate consistere possunt. Hoc porro discrimen venialia inter, ac mortalia peccata, et quidem natura sua, ac independenter a Divina misericordia gravissimis Scripturarum oraculis fulcitum esse, dubium non est. Paulus de iis, qui gravibus inquinantur culpis asserit, quod regnum Dei non possidebunt (Ibid. 9. et 10.), at Joannes ad viros justos sanctosque respiciens inquit (I. Epist. I. 8.): *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*; consonat Jacobus scribens (III. 2.): *In multis offendimus omnes.* Unde consequitur, peccata quaedam natura sua tantam habere gravitatem, atque malitiam, ut ad aeternas poenas nos trahant; alia vero natura sua levia, in quae justi ipsi saepe labantur, nec eorum cum Deo amicitia dissolvatur. Sane, quis persuadere sibi serio unquam poterit, Christum Do-

minum, qui jugum suave, ac onus leve nobis imposuit (Matth. XI. 30.), seclusa ejus misericordia cruciatibus aeternis puniturum fore illum, qui vel preces cum nonnulla distractione recitaverit, aut officiosum mendacium, aut otiosa quaedam verba protulerit? Quae enim ea justitia foret, si ob culpam levissimam vir justus, sanctusque a gratia Divina non minus excideret, quam qui in gravia scelera labuntur? Quam habemus Divinorum attributorum genuinam ideam, existimare nos non sinit, eos qui leviter omnino delinquunt, aeternis fore suppliciis torquendos. Hujus procul dubio sententiae Augustinus fuit, scribens (*Lib. XIV. de civ. Dei c. IX. n. 4.*): *Nunc vero satis bene vivitur, si sine crimine; sine peccato autem qui se vivere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat*; ac alio in loco (*De perfect. just. cap. IX. n. 20.*): *Ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Magno doctori jam praeluserant Hieronymus (*Lib. II. contra Jovinian.*), Chrysostomus (*Hom. XVI. in Matth.*), Ambrosius (*Lib. II. de poenit. cap. X.*) aliique praeclarissimi Ecclesiae Patres.

Scholion. Calviniani peccata quaedam esse natura sua venialia pervicaciter negant, divina tamen misericordia, praedestinatis ac fidelibus hominibus haud imputari affirmant; nec alterius mentis videtur fuisse Lutherus *art.* praesertim 32.. Buddaeus etiam *lib. 8. cap. 2. §. 33. Schol.* affirmat, peccatum in se spectatum nullum esse, quod temporalem, ac aeternam mortem non mereatur, adeoque omnia peccata esse natura sua mortalia; ex Calvinianis tamen non pauci ab hac doctrina recesserunt. Confer Hug. Grotium *in discus. Rivetiani apologet. ac in notis ad consultationem Cassandri.* Philosophi Stoici omnia peccata inter se fecerunt paria, ut scribit Cicero *in Paradoxis*: unde Horatius lib. I. *sat.* 3. ajebat:

Queis paria esse placet peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant:
Atque ipsa utilitas justi prope mater et aequi.

Quod paradoxum Joviniano etiam arriserat, quem uberrime confutavit S. Hieronymus. Peccatum ab Augustino definitur, *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem aeternam*, sub qua definitione non solae actiones, verum etiam omissiones rerum, quae praeceptae sunt, continentur. Peccatum mortale est aversio a Deo tamquam ab ultimo fine, et conversio ad creaturas; id vero contingit, quum homo creaturis, quibus uti debebat, fruitur. Veniale autem est, inordinatus ad creaturas affectus servato ordine ultimi finis, quum nempe homo non ita creaturis adhaeret, ut a Deo ultimo suo fine avertatur. Lege Augustinum *lib. I. de doctr. Christ.* Discrimen vero, quod mortale inter ac veniale peccatum adest, ex objecto, fine, agendi modo, ac circumstantiis dimetiri oportet.

§. CCCLXXX.

Ad elevandum, quod statuimus, peccatorum discrimen, multa proferri solent; praecipue sunt: Paulus (Ad Rom. V. 23.), generatim ait: mortem esse *stipendium peccati*. Jacobus addit (cap. II. 10.): *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Salvator docuit (Matth. V. 19.): *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Haec tamen nihil nos conturbant. Doctor gentium de iis sermonem instituit, in quibus peccatum aliquando regnaverat, concupiscentiis ejus morem gesserant, qui membra sua iniquitatis arma exhibuerant, ac servi facti erant peccati: hos vero gravioribus culpis contaminatos fuisse, dubium non est, atque hujus peccati stipendium mortem esse, ex se patet. Immo quum eodem capite peccatoribus justos opponat, qui tamen in leves culpas non raro cadunt (§. praec.), apparet, ad venialia peccata Paulum objecto in loco haud respexisse. Quantum attinet ad Jacobum, ipse confutat errorem, qui apud Pharisaeos, eo-

Argumenta adversariorum.

rumque sectatores invaluerat, hominem censendum esse justum, si maximam legis partem observasset, etsi in quibusdam nullam ejusdem habuisset rationem: quasi in statera ponderanda essent bona ac mala hominum merita, iique salutem essent consequuturi, quorum bona opera malis praeponderassent. Itaque contendit Apostolus legem penitus adimplendam esse, atque quisquis in grave scelus, veluti adulterium est, ac homicidium, labatur (Apud Jac. cap. II. 11.), eum censendum fore quasi omnium reum, eo quod violavit caritatem, ex qua lex pendet, et Prophetae. Tum quia ob unicum tantum scelus aeternam mortem promeritus est. Verba Salvatoris nostri ad sensa Pharisaeorum alludunt, qui peccata ceteroquin in se gravia, veluti mulierem aspicere ad concupiscendam eam, ira percitum esse, odio habere inimicos, putabant esse minima. Unde Salvator vult, ut qui haec patraverit, excludendus sit a regno coelorum. Quamquam si rem bene assequor, adducta argumenta, in sensu ab adversariis intento accepta, nec ex Divina misericordia peccata venialia dari ostenderent.

Scholion. Solent etiam opponere Basilium, qui *in regulis brevioribus* peccatum nullum appellari posse leve asserit, eo quod legis transgressione quis Deum inhonorat. Nihilominus videtur ejus fuisse mentis, peccatum tunc debitum Deo honorem tollere, ac mortis stimulum esse, quando cum legis contemtu conjungitur. Subdit enim: *Nihil omnino tamquam minutum contemni debet. Qui enim rem contemnit, contemnetur ab ea.* Porro quod addit, haud reperire in novo foedere discrimen leve inter, ac grave peccatum, id secundum ejus scopum accipi debet, quandoquidem loquitur de correctione fraterna, cujus nobis debitum non tantum pro gravibus delictis, sed etiam pro culpis levibus incumbit. Nec moror difficultatem ex his Augustini verbis *lib. IX. Conf. cap.* 13. proponi consuetam: *Vae etiam laudabili hominum vitae, si remota misericordia discutias eam.* Contendit enim, cuncta, quae a nobis fiunt bona, a beneficio redemtionis, divina misericordia, et gratia repetenda esse; quo

fit, ut vita hominis, etsi laudabilis videatur, divina bonitate exclusa habeat, ut timere sibi debeat. Quae discrimen inter peccata, quod Augustinus adeo loculenter expressit, praedicavitque (§. praec.), minime tollunt.

§. CCCLXXXI.

Nemo de sua justificatione sine familiari revelatione certus est.

Ex errore enascitur error: Heterodoxi arbitrati ex Divinarum promissionum fide homines justos fieri, deduxerunt, quemlibet de sua justificatione certum securumque esse posse, ac debere. Nos vero certitudinem secernendam esse duplicem asserimus, *fidei* nempe, ac *spei*; illa Divinae revelationi innixa assensum firmissimum haesitatione exclusa omni a nobis extorquet; alteram habere tunc queas, quum nullius tibi conscius criminis pacatam conscientiam geras, bonisque intentus operibus, aeternae felicitatis, quam adpromisit Deus, adipiscendae fiduciam tenes. Spes ista, non solis Dei promissionibus innititur, sed etiam diligentiae nostrae, eo quod Deus mandata sua diligenter observantibus, ac perseverantibus usque in finem coronam gloriae adpromisit; quo fit, ut ob infirmitatem humanae naturae haec spes sollicitudinem conjunctam habeat, ac salutarem timorem. Certitudinem hanc profitetur Catholica Ecclesia; quam autem Acatholici induxerunt, repudiant ipsae sacrae litterae. Et sane in *Proverbiis* (XX. 9.), legimus: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* tum (XXVIII. 14.): *Beatus vir, qui semper est pavidus.* Paulus vero vir sanctissimus, ac vas electionis de seipso ajebat (I. ad Corinth. IV. 4.): *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* δεδικαίωμαι δικαιῶσθαι, quod est interius purgari, animumque a vitiis mundum habere (*). Ignorabat itaque Paulus, quempiam Divina revelatione seclusa posse fide certissima credere, se penitus mundum esse, justum, ac sanctum. Ad quem locum Chrysostomus respiciens, scribebat: *Non Corinthios tantum, sed seipsum privat hoc judicio.* Hieronymus

(*) Quo sensu accipitur Isai. LIII. 11. Act. XIII. 38, ad Rom. VI. 7. aliisque in locis.

non minus sit (*Lib. II. contra Pelag.*): *Temperabat sententiam ne forte per ignorantiam deliquisset, quanta abyssus sit, audite.* Basilius autem (*Constit. Monast. cap.* II.): *Multa peccantes, plurima non intelligimus. Quapropter dicit Apostolus, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: hoc est multa pecco, et non intelligo.* Augustinus (*De Perfect. just. cap. XV.*): *Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.* Quapropter merito definiverunt Tridentini Patres (*Sess. VI. Can. XII.*): *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis, et indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.*

Scholion. Lutherus, Calvinus, Dordracena Synodus, existimarunt, quemlibet, sicuti de aliis fidei articulis, ita et de justificatione sua certissimum esse posse. Calvinus *in antid. conc. Trid. ad Sess.* VI. temperare, vel immutare visus est sententiam suam; inquit enim: *Non certitudinem aliquam imaginamur, quae nulla dubitatione tangatur, quae nulla inquietudine sollicitetur, quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia.* Hinc est, quod le Blanc in *Thesibus Sedamensibus* sententiam hanc a suis non defendi scribat; quem tamen non paucis Calvinistarum adductis testimoniis, confutavit Arnaldus in opere: *le renversement de la morale de J. Christ par les erreurs des Calvinistes touchant la justification.* Attamen, ut dicam, quod sentio, hanc communem esse omnium Calvinistarum doctrinam non arbitror; quod etiam ostendit idem le Blanc in postrema suarum Thesium editione testimoniis Perchinsii, Davenantii, Amesii, Mestrezatii, du Moulinii, Valaei, ac Witichii. Vid. le Fevre ch. II. §. II. Observes, velim, doctrinam esse Lutheri, posse nos certos esse de fide nostra, neminem vero de sua poenitentia securum esse; immo neminem tutum reddi posse; quia in melioribus operibus suis ob latens amoris proprii vitium graviter non peccet.

Confer Bossuet *hist. de var. lib. I. n.* 9. seq. Jam vero dubium non est, Deum sincere poenitentibus tantum, peccatorum remissionem dare; ut sexcentis in locis fidem faciunt Sacrae Litterae; ac Lutherani ipsi conversionem cordis necessariam conditionem ad justificationem esse admittunt (§. CCCLXIX. Schol.). Quapropter, quum in Lutheri principiis, an vere compunctus, et contritus sit, certus esse possit nemo, nam posset illusio nobis irrepere, aut amoris proprii praejudicium, fit, ut neque quis certitudine fidei credere valeat, se obtinuisse peccatorum remissionem. Haud ignoro, confessionem Augustanam *cap. de justificat.* asserere, fidem cum mortali peccato minime posse consistere. Unde ita argumentatur: *fidem habeo, itaque peccatum mortale habere nequeo.* Quod argumentum in adversarios Bossuetus retorquet *lib.* 3. *var. n.* 38. Fides cum peccato mortali consistere nequit; est Lutheranorum propositio; at ex doctrina Lutheri nemo certus est, an in melioribus operibus suis graviter non peccet, an ducatur amore proprio; nemo itaque certus est, an vivam fidem habeat; proindeque nemo est de sua justificatione securus.

§. CCCLXXXII.

Heterodoxorum sophismata.

Sed audiamus jam, quae pro doctrina sua proferant Protestantes. Paulus, ajunt, Corinthios (*II. ad Corint. XIII.* 5.) his verbis monet: *Vosmet ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate; annon cognoscitis vosmeptisos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Quis non videat, cuilibet compertum esse, an in fide sit, ac Christum in se inhabitantem habeat?. Confirmat id ad Romanos scribens (V. 1.): *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* Quomodo autem tranquillum habebimus, pacatumque animum, si certissime haud pateat, nos esse justos? Jam dixerat (IV. 16.), *Ideo ex fide, ut secundum gratiam promissio sit omni credenti*; immo addit (VIII. 16.): *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*: testimonium autem Spiritus Sancti errori obnoxium non est.

§. CCCLXXXIII.

Solvuntur. Verum laudata Pauli testimonia Adversarii non recte exponunt. Ac primum: vult ipse, ut se probent, an in fide sint, Christusque in ipsis inhabitet; non erant itaque, qui justi erant, hujus rei certi ac securi. Sed neque re bene ponderata, ac discussa, fidei certitudinem de eorum sanctitate, ac justitia, quam nec semetipsum habuisse fidem facit (§. CCCLXXXI.), sed moralem tantum inducere voluit. Sane, quisnam mortalium seclusa Dei revelatione, tantam se habere, quantam Deus jubet, caritatem, ac singula Dei mandata ad amussim observasse compertum penitus habet? ut puto, nemo unus. (*) Qui vero sancti sunt, ac justi, hos pace interna frui, ac tranquillitate fatemur; at ad hanc obtinendam sufficere certitudinem moralem constanter tenemus; nam eodem Doctore gentium teste cum metu, ac tremore salutem nostram operari debemus (*Ad Philip. II.* 12.): nec moror, quod dicitur, secundum gratiam firmam esse promissionem omni credenti. Promissionis enim firmitatem in eo reponit Paulus, quod ad Evangelium non ii soli, qui ex semine Abrahae sunt, sed Gentiles etiam vocantur: at quid haec ad justificationis certitudinem? An omnes, qui credunt, justi sunt, ac sancti? Optanda quidem res esset, sed cum experientia pugnat. (**) Testimonium Spiritus sancti errori minime obnoxium esse, ex sese patet; verumtamen, nisi adsit pecu-

(*) Reperire tamen est doctissimos viros, affirmantes Paulum non de gratia habituali, sed de praesentia Christi secundum imperandi potestatem, ac de annuntiata jam fide loquutum fuisse: cui expositioni non officiunt haec verba, *nisi forte reprobi estis*; etenim reproborum nomine non rejectos a Deo hic voluit Paulus designare, sed viles factos, ac degeneres. Vide *Estium*, et *Calmet* in hunc locum.

(**) Nec valet argumentum *Petri martyris* aientis, ex promissionibus universali propositione contentis, singulares conficere licet; at Christus promisit *Joan. VI.* 20. *Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam*; licebit ergo inferre; ego credo in filium Dei, habeo ergo jam, et habebo, quod adpromisit. Nihilominus promissio vitae aeternae conditionem habet adnexam, nempe si veram habeat quis contritionem cordis, Deique mandata servet. Nemo autem est, qui fidei

liaris revelatio, illud nobis clare non proponitur, hinc etiam est, quod multi a veritate aberrantes, se tamen justos, ac sanctos esse praesumant. Quamobrem testimonium Spiritus Sancti, quod simus filii Dei, in eo reponi debet, quod fideles credunt, Spiritum Sanctum esse, qui regenerat, ac sanctificat, quod ipse in solis piis, justisque habitat, quod sola vera Christi religio sit, quae justificat, eundemque S. Spiritum tribuit. Unde Buddaeus ipse, (*Lib. IV. c. IV.* §. *13.*) eos saltem, qui tentationibus adfliguntur, dubitare posse, an justi sint, affirmat.

§. CCCLXXXIV.

Ac potest justitia ac gratia sanctificans rursus amitti.

Non immerito gravissimi quique viri hanc Calvinistarum doctrinam, nefandis scilicet sceleribus justitiam ac sanctitatem haud amitti, horrorem incutere dixerunt, atque moralis Christianae fundamenta subvertere. Quippe, quae salutarem fidelibus timorem eripit, vitiisque omnibus habenas laxat. Commentum istud sacri libri impugnant, confodiuntque. In Psalmis enim legimus (*Ps. II. 12.*): *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa*; atque apud Ezechielem (*XVIII. 26.*): *Cum autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Paulus vero ad Corinthios scribebat (*1. ep. IX. 17.*): *Castigo corpus meum ac in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar;* iisdemque saluberrimum hoc monitum dat (*X. 12.*): *Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Cumque peccata graviora recensuisset, absque personarum discrimine ait; quod, quotquot iis contaminantur, *regnum Dei non possidebunt* (VI. 9. seq.). Ecclesiae Patres ejusdem semper fuisse mentis, prudens nemo addubitabit. Hie-

---

certitudinem habeat, se haec omnia, ut oportet praestitisse; adeoque ex Dei promissionibus minime evincitur justificationis nostrae certitudo. Sane Calvinus ipse *lib. III. instit.* cap. II. §. X. scribit: *Tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi tectum est, ut saepe . . . . . fallatur.*

ronymus Jovinianum, a quo errorem suum Calvinus mutuatus est, solide confutavit. Augustinus non tantum hanc veritatem saepe propugnat, verum etiam justorum exemplo, qui in peccatum misere prolapsi sunt, demonstrat (*Lib. II. de Doctr. Christ. n. 33.*). Sapienter itaque Tridentini Patres definiverunt (*Sess. VI. Can. XXIII.*): *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum. . . . . anathema sit.*

Scholion. Calvinus arbitratus fide sola hominem fieri justum, eumque nedum de sua justitia, sed etiam de sua praedestinatione securum esse, voluit non minus, dum in atrocia scelera labitur, ex Divina bonitate haec praedestinato homini haud imputari; proindeque adeptam justitiam penitus numquam amittere. Hinc etiam quod mortale inter, ac veniale peccatum reperitur discrimen, repetit totum: praedestinato omnia dicit venialia; mortalia hominibus caeteris. Quam Calvinistarum mentem esse, probandum assumpsit Arnaldus in libro, *le renversement de la morale de J. Ch.*, ubi plura eorum, qui se reformatos dicunt, clara testimonia profert, ipsiusque synodi Dordracenae: in qua tamen, an detestandum hoc dogma definitum fuerit, adeo perspicuum non est. Id inficias it Le Fèvre ch. II. §. III. innititurque ejusdem Synodi Canoni octavo; tum judicio Theologorum, qui ab Anglis delegati erant, et Embdanorum. Cl. Wallemburgici *cap. 87. de justif.* num. 5. ajunt: *Hic nota primo in Synodo Dordracena posse videri, non esse definitam eam quaestionem, an fideles numquam totaliter, et penitus excutiant Spiritum S.* Quod etiam inter Acatholicos affirmat Blondellus, *Actes autentiques* p. 12. Longam etiam laudatus Le Fevre Calvinianorum seriem contexit, qui justitiam, ac sanctitatem amitti posse judicant; tamen ex iis non pauci fidei, et justitiae residuum in gravibus peccatoribus inesse putant; non quidem *actu*, sed *potentia*, ut inquit Vossius; vel *habitu*, ut contendit Forbesius. Qua in re misere decipiuntur: quo-

modo enim justitiae, ac sanctitatis *residuum* in iis adesse potest, qui in statu degunt damnationis, et mortis? Caeterum sententiam de justitiae inamissibilitate perniciosum errorem vocarunt Bullus *in apol. pro harmonia*, et Grotius *in animadv. ad Consult. Cassandri* not. *de discrim. peccati mortalis*, *et venialis*. Casaubonus *in epistola ad Petrum Bertium* scripta an. 1611. scribit: *Video nostros contraria docere antiquis Patribus. Ridicule faciunt, qui hoc* (nempe justitiae amissibilitatem) *negant*. Alardus autem Voekus *in tract. de uniendis Christianorum animis in fide illibata*, hominem posse excidere gratia demonstrat primorum parentum, ac Davidis exemplo; addit conceptissimis verbis id docere Paulum *ad Rom. II.* 20. ac Augustinum *epist.* 121. *ad Probam*. Unde concludimus hujus Calvinianae doctrinae absurditatem cognitam fuisse, ac reprobatam a non paucis eorum, qui se reformatos vocant.

§. CCCLXXXV.

Calvinianorum objecta.

Praeconceptam absurdam sententiam, ut tueantur Calviniani, his veluti fulcris innituntur. Propheta Regius inquit de homine justo (*Ps. XXXVI.* 24.): *Cum ceciderit non collidetur*. Paulus (*I. ad Corint. XIII.* 8.), *Caritas numquam excidit*; itaque ille, qui caritate donatus est, illa numquam carebit. Clarius adhuc Joannes (*I. Epist. III.* 9.): *Omnis, qui est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quia ex Deo natus est*: addit (V. 18.): *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum*. Salvator ipse nos docet (*Matth. VII.* 18.): *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Quamobrem compertum cuilibet esse debet, semel justos a sanctitate amplius non posse excidere.

§. CCCLXXXVI.

Enodantur.

Contorta at nimium sunt ista, et a nativo sensu prorsus aliena. David ad justorum tribulationes respicit, quae Deo auxilium praebente eos nunquam

opprimeat. Nam quidquid infausti eveniat eis, si in Domino suo confidant, gratiam ejus implorent, superno ejus patrocinio numquam destituentur. (Vid. Augustinum *enar. in ps. XXXVI. serm. II. n.* 17.) Merito Doctor gentium asserit, caritatem nunquam excidere, fides enim ac spes in altera vita non erit; caritas autem permanebit, augebitur, ac penitus perfecta evadet; at justum dum hac in mortali vita degit, a caritate deficere non posse, nulla ratione asserit. Jam venio ad Joannem, qui hoc unum contendit, statum nempe filiorum Dei, cum peccati statu haud posse consociari; non vero personam filiorum Dei nunquam posse in grave peccatum labi. Itaque docet, justum, dum ut adoptivus Dei filiús vivit., regenerationem, ac spiritalem nativitatem, quam ex Deo habuit, conservat, haud gravibus se delictis contaminare; hunc tamen in finem oportet, ut Divina mandata custodiat (*I. Joan.* III. 24.) ac fratres suos diligat (*Ibid.* v. 14. et 15.). Quamobrem sicuti contingit non raro justum concupiscentiae rebellis motibus obsecundare, ac a Fratrum dilectione desistere, mandata Divina negligere; ita secundum Joannis mentem a sanctitate eum deficere posse, dubium non est. Ita dicere solemus pudicam mulierem fidem marito datam conservare inviolatam, Judicem integrum nec muneribus, nec gratia corrumpi: haec vero secundum dotes, quae ipsos exornant, dicta sunt; quamvis et pudicae mulieres nonnumquam lapsae sint, ac integri Judices ad Magnatum captandam gratiam a justitia administranda defecerint. Sed quid multa? Dilectus Christi discipulus totus est, ut fideles a peccato perpetrando absterreat, doceatque fidem operibus bonis esse conjungendam. Quorsum autem hae admonitiones, si, qui semel in baptismo gratiam est consecutus, ab ea amplius excidere non potest? Hinc etiam patet, quonam modo arbor bona malos fructus gignere nequeat. Arbor bona caritas est, ac bona voluntas, quam Deus nobis inspirat, quamobrem, quamdiu homo justus secundum bonam a Deo datam voluntatem aget, fructus malos producet nunquam: verumtamen, quum in justo homine adsit adhuc concupiscentia, quae ex

peccato est, ac ad peccatum inclinat, si huic obsecundet, a primaevo statu deficere potest, ac in arborem malam evadere, ex qua pessimi fructus enascantur.

CAPUT II.

De Merito.

§. CCCLXXXVII.

Humana opera, si legibus, ac divinae voluntati cohaereant, bona sunt; ab hac regula si deflectant, mala. Nonnulla quidem sunt, quae nec jubentur, nec vetantur; quae si generatim consideres, ac quantum ad objectum suum, nec bona erunt nec mala: at si haec ipsa in particulari consideres, ac secundum omnes operis circumstantias, bonitatem induent, vel malitiam. Fieri etiam potest, ut opus spectato objecto suo bonum sit, quamvis si circumstantias ponderes, ac finem praesertim, quo ad operandum induceris, ab aequitatis regula deflectat. Unde ajebat Augustinus (*Contra Julian. lib. IV. n. 21.*): *Noveris non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum, finis vero, propter quod faciendum est.* Finis vero vel proximus est, vel ultimus. Porro, ut opus undequaque sit bonum, finem utrumque, ultimum praesertim animo contuearis, oportet. Qua de causa Paulus Corinthiis mandabat (I. ad Corinth. X. 31. Vid. ad Colos. III. 17.): *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*: immo et addebat: *Omnia vestra in caritate fiant* (I. ad Corinth. XVI. 14.). Quo fit, ut opus undequaque bonum censendum sit, quo aequitatis regulam servamus, fruimur Deo, utimurque creaturis (*). Opera autem *vel moraliter* bona dicuntur, vel sub eo respectu considerantur, quo ad salutem nos disponunt, aut ducunt. Primi generis opera ut bene agas, Theologi multi haud necessariam gratiam judicant, cumque titulo creationis, conservationis, redemtionis, cuique incumbat debitum opera sua

Notio operis boni.

in Deum ultimum finem referendi; ii hinc existimant moralium virtutum opera a seipsis, ac per relationem sibi intrinsecam in Deum referri. Placet tamen Augustinianis Theologis, quibus multi assentiuntur, moralia haec opera ex motivo saltem inchoatae charitatis in Deum esse referenda, ad quod praestandum necessaria est Dei gratia. At vero bona opera, si eo sub respectu considerentur, quo salutaria sunt, ad eorum initium, progressum, ac consummationem Divinum adjutorium necessarium esse fides catholica docet (§. CLXXVI.). Quandoquidem Christifidelis nec in se confidere, neo gloriari potest; sed in Domino, qui eum adjuvat, roboratque. Unde est, quod opera cuncta, quae ex Dei gratia non procedunt, ad finem nostrum adipiscendum, vitam scilicet aeternam, inutilia prorsus sunt. Jam vero opera haec Divinae gratiae auxilio bona, si ante justificationem consideres, ad eam quidem disponunt; at illam non promerentur, quum justificemur gratis per redemtionem, quae est in Christo Jesu (§. CCCLXIX. CCCLXXI.). Si vero quantum ad ipsum justificationis augmentum, ea in censum veniant, dubium non est, fide sincera, spe, ac caritate virtutes augeri, ac justificationis augmentum promereri.

(*) Scholion. Multa etiam fiunt ab ipsis impiis, ac infidelibus, quae honestate operum inspecta, ac virtutum officiis, *non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam, si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniantur, quae justitiae debitam laudem defensionemque mereantur*, ait Augustinus *de Spir. et litt.* cap. 27. *Hinc non est vera virtus, nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est*: inquit idem S. Doctor *de Civ. Dei lib.* V. *cap. XII.* Quapropter opus est Christiano, ut agat, quod bonum est, eo fine, ut Deo suo obsecundet, eique placeat; quo pacto a sapientibus mundi, ac Philosophis discernitur: isti actiones suas considerant, quatenus cum legibus civilibus, ac felicitate humani generis conveniunt; tum virtutis pulchritudinem, ac utilitatem considerant. Christi-

fidelis vero praeter haec, excellentius longe, ac fortius motivum habet, quo moveatur ad bene agendum; ipse consectatur virtutes, in operibus civitati, ac humano generi utilibus se exercet; eo quod noscit, Deum suum id ab eo postulare, unde propter ipsius amorem bonum operatur, ac quae agit cuncta, virtute saltem in ipsum veluti ultimum finem suum refert.

§. CCCLXXXVIII.

Opera bona dari adeo certum est, ut humanae mentis delirium esse arbitrer, veritatem hanc ipso sanae rationis lumine notam, ac sacrarum litterarum auctoritate suffulcitam inficias ire velle. Quae enim opera legibus, ac Divinae voluntati conformia sunt, quae ad finem ultimum referuntur, ac gratiae Divinae auxilio patrantur, ea sunt undequaque bona (§. praec.). Nihil vero in rem nostram opportunius facto Magdalenae, quae ad Salvatoris pedes provoluta, lacrymis irrigans, ac pretioso balsamo inungens; ipso Christo Domino docente, *bonum opus operata est* (Matth. XXVI. 10.). Paulus Corinthios monet (II. Epist. III. 8.), *ut abundent in omne opus bonum*. Idem Doctor gentium fervidas ad Deum preces fundebat pro Colossensibus, ut in omni opere bono fructificarent (I. 10.); atque jubet Tito, adhortari suos, *ut curent bonis operibus praeesse. Haec sunt bona, et utilia hominibus* (III. 8.). Jacobus autem fidem ipsam sine operibus mortuam esse dicit (CCCLXIX.). Tempus inutiliter tereret, si quis uberioribus argumentis id demonstrandum assumeret. Adultis opera bona.

Scholion. Graviter lapsi sunt Lutherus asserens art. 33. justum in omni bono opere peccare; atque Calvinus autumans *lib.* 3. *instit.* opera omnia, si in se existimentur, sordes esse, ac inquinamenta. Quandoquidem saepe justi Divina gratia exornati opera omni ex parte bona efficiunt. Atque licet Jacobus asserat, *In multis offendimus omnes*; non tamen ait, quod in cunctis operibus peccemus. Falsum etiam est, ab innata concupiscentia omnia justorum opera vitiari; enimvero ad superandam contrariam

cupiditatem Dei gratia nobis confertur, unde, quod a Deo praecipitur, nos delectat, sanctoque amore facimus (§. CCLI. CLV.). Neque sordes inde contrahunt justi, eo quod tanto fervore, ac dilectione non operantur, quanta jam erit in coelis, nam minor iste fervor culpa non est: *Neque enim*, inquit Augustinus *de Spir. et litt. cap. ultimo*, *si esse nondum posset tanta dilectio Dei, quanta illi cognitione plena, perfectaque debetur, jam culpae deputandum est.*

§. CCCLXXXIX.

Necessaria sunt ad salutem.

Haec vero bona opera ad salutem aeternam consequendam esse necessaria, clare nitideque probatur. Notum est, Christum Dominum non tantum Redemtorem esse nostrum, verum etiam legislatorem (§. LXXXIII.), cujus mandatis obtemperemus necesse est, si ad aeternam vitam ingredi volumus; ipse in gloria Patris sui venturus est Judex: *et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* (Matth. XVI. 27.): ipse tunc temporis dicet iis, qui misericordiae exercuerunt opera: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (Ibid. XXV. 34. seq.). Qua itaque fronte Acatholicorum non pauci ausi sunt dicere, opera ad salutem haud esse necessaria, si docente veritatis Magistro aeternam vitam consequetur nemo, qui bonis operibus non insudaverit? Quid? nonne ad opera bona respiciebat Paulus scribens (II. ad Timoth. IV. 7.): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servari; in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Et quid aliud innuere voluit Joannes inquiens (Apocal. VII. 14. 15.): *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna...... ideo διὰ τοῦτο, sunt ante thronum Dei*, nisi quod opera bona causa sint, cur in ordine exequutivo (§. CXCIV.), elargiatur Deus vitam aeternam? Ecclesiae Patres, quum populum admonuerint serio, ut in via justitiae incedat, bonis operibus navet operam, si patriam coelestem obtinere cupit, hanc veritatem docuisse semper, exploratum est.

SCHOLION. Dubium est nullum, pravam esse, tum incuriae, ac sceleribus aditum aperire eorum sententiam, qui bona opera ad salutem necessaria non esse docent. Id opinati fuere Simon Magus, Gnostici, Carpocratiani, Aetius, Eunomins, Beguardi, et Begninae. His adjungendi sunt Flacciani sic dicti a Flaccio, sive Jenenses, qni omnia opera perniciosa esse contendebant. Lutherani recentiores, etsi opera per modum causae ad salutem minime necessaria esse existiment, iique hanc formulam: *bona opera sunt necessaria ad salutem*, ita comparatam esse censeant, ut rectius, ac sapientius faciant, qui ab ea sibi temperant: non tamen approbant illorum doctrinam, qui nimio fervore in alterum prolapsi, bona opera ad salutem perniciosa esse dixerunt[1], ita Buddaeus *lib. IV. Cap.* V., §. 23. *Schol.* Nihilominus alio sub aspectu ea necessaria esse volunt, eo quod ex ipsis vera fides cognoscitur; tum qnia vitae sanctitas diligenter ac constanter tenenda est, sine qna Deum nemo visurus sit. Calvinianorum pars maxima opera necessaria ad salutem judicant; quo factum fuit, ut Gherardus *loc. Theol.*, tom. IV. *de bonis operibus* cap. 9. et Jo. Himmelius *in suo Calvini Papismo* scripserint. Calvinistas hac in parte sentire nobiscum. Confer Wallemburgicos *de just. cap.* 92. Nec officit, quod vita aeterna *gratia et misericordia* vocetur *Ps.* CII. ad *Rom.* VI. 23. Nam gratia est simul et merces; *gratia et misericordia* ob praedestinationem gratuitam (§. CXCV.), atque ob gratiam Dei praevenientem, ac subsequentem, unde bona opera efficimns (§. CLXII.), *merces* ob liberam hominis obedientiam. Audiamus Augustinum de *corrept. et grat. c.* 13. *Quia et ipsa vita aeterna, quam certum est bonis operibus debita reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quae gratia contulit homini.*

§. CCCXC.

Spei nomine, quamvis tum apud sacros, tum Actus spei.

apud profanos scriptores rerum adversarum expectatio nonnumquam intelligatur, tamen significationis hujus nullam habituri sumus rationem, quum ea, uti suscipimus considerandam, circa res bonas ac futuras tota versetur. Si generatim illam consideres: *Animi nostri motus est, quo tendit in bonum absens, arduum, apprehensum ut possibile*: at spes Theologica, de qua disserimus, definiri solet: *Virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostrae salutis, et aeternae vitae bona exspectantur*. Objectum spei nostrae princeps, Deus ipse est animorum nostrorum vita, beatitudo ac ultimus finis. Cetera, quae sive in hac, sive in altera vita a Deo exspectamus bona, ut remissio peccatorum, sanctitas, immortalitas, in ordine ad Deum speramus singula, in quo desiderium omne nostrum conquiescere debet: spes secum fert desiderium, ac fiduciam; quae enim nobis haud placent, nec amamus, ea neque sperare solemus. Fiduciam autem habemus nos ea obtenturos, quae speramus, non quidem fidei certitudine, ut Acatholici volunt; sed ea tantum, quae licet Divinae misericordiae innixa sit, omnem tamen salutarem timorem a nobis haud depellit (§. CCCLXXXI.). Nostrae autem spei fundamentum est Dei misericordia, ejus promissiones, Christi Domini merita, ejusdemque victrix ac efficax gratia; motiva vero sunt Divina omnipotentia, ejus beneficentia summa, nec non quod ut in ipso speremus, jubeat. Spes vel est *habitualis*, in nostra justificatione a Deo infusa, vel *actualis*, quando nempe spei actum elicimus. Dividitur haec praeterea in spem perfectam ac vivam, quae cum habituali caritate conjuncta est, et in imperfectam, qualis in homine peccatore occurrit; quae tamen absque aliquo Dei amore persistere nequit, quemadmodum Augustinus docet (Enchir. Cap. VIII.): *Spes sine amore esse non potest.*

§. CCCXCI.

Boni sunt ac commendandi etiam in hominibus perfecta caritate instructis.

Perperam Pseudomystici sub majoris sanctitatis specie in eo collocandam cupiebant operam omnem, ut, qui ad perfectionis apicem adspirant, ii coelestis praemii spem deponere teneantur. Enimvero ho-

minibus justis quantavis caritate exornatis aeterna vita proponenda est veluti incitamentum, ut in omni bono opere abundent, constanterque permaneant; nec enim eorum labor futurus est inanis in Domino (Ad Heb. VI. 10.), nec injustus est Deus, ut operis ac dilectionis, quem in ipsius nomine ostenderunt, obliviscatur, unde nec debent confidentiam suam amittere, quae magnam habet remunerationem (Ibid. X. 35. *Confer PP. Tridentinos* Sess. VI. cap. 16.). Quid plura? Nonne Deus Abrahae dixit: *Ego protector tuus, et merces tua magna nimis* (Gen. XV. 1.)? Nonne Moyses *aspiciebat in remunerationem* (Ad Heb. XI. 26.)? Immo Regius Propheta aiebat (*Ps.* CXVIII. 112.): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Adeone inconsiderati fuere hi Pseudomystici, ut non animadverterent, Salvatorem ipsum voluisse, ut orando petamus: *Adveniat regnum tuum* (Matth. VI. 10.), immo et jussisse discipulis suis, ut quaererent *primum regnum Dei* (Ib. v. 33.)? Porro caritate instructi erant perfecta Abraham, Moyses, David, ac Christi Domini discipuli, quos etiam de perfectionis via edocebat. Accedit ex caritatis natura deprompta ratio. *Caritas*, ajebat Augustinus (*De Doct. Christ.* lib. III. cap. X.), *est motus animi ad fruendum Deo propter seipsum, et se et proximo propter Deum.* Unde discimus, caritatem ardens in nobis excitare desiderium possidendi Deum; atque quo ipsa major est, eo intensius ac efficacius desiderium, ac expectationem fruendi Deo summo bono, ac fine ultimo, propter quem conditi sumus, gignere in nobis debere. In hoc autem desiderio, ac expectatione spei Theologicae natura reposita est (§. praec.). Quapropter spei actus in hominibus etiam perfecta caritate instructis boni sunt, ac commendandi.

Scholion. Michael de Molinos, eorum, qui Pseudomystici, ac *Quietistae* vocantur facile Princeps, inter alias propositiones ab Innocentio XI. proscriptas asserebat, anhelantem animum ad perfectionem debere tum ad aeterna supplicia, tum ad sempiternam felicitatem esse indifferentem, atque expecta-

tionem aeternae vitae minime posse cum perfectione Divini amoris persistere. Huic accessit Malavalus Massiliensis, ac nobilis foemina de Gujon, quae a P. La Combe fanaticis his principiis imbuta, eadem propagare satagebat in libro: *Moyen courte, et facile pour faire l' oraison*. At quod magis mirandum, eo inclinabat etiam doctissimus Fenelonius, qui haec principia instillabat in opere: *L' explication des maximes des saints*; cujus occasione litteraria certamina ipsum inter ac magnum Bossuetum exarsere. Causa tamen, ad Innocentium XII. delata, post accuratum examen Fenelonii liber proscriptus fuit; qui raro humilitatis ac obedientiae insignis exemplo Bullam Pontificis ipsemet promulgavit, erroresque revocavit. Vid. Racine *abregè de l' Hist. Eccl. vol. XIII.* art. 34.

§. CCCXCII.

Quietistarum argumenta.

Praecipuum Quietistae invenisse assertionum suarum pondus sibi visi fuerunt in hisce Christi Domini verbis (Matth. XVI. 24.): *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum . . . . . Si quis* (Lucae XIV. 26.), *venit ad me, et non odit patrem suum, aut matrem . . . adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Porro ajunt, abnegare semetipsum, et animam suam odio habere, nihil aliud innuit, quam salutis suae spem abjicere omnem. Apostolus (ad Rom. IX. 3.), pro salute fratrum suorum anathema esse cupiebat, alienus nempe a vita aeterna; quanto magis ob amorem Dei perfectum id existimandum est licitum? Docet insuper Doctor gentium (I. ad Cor. XIII. 5.), quod *caritas non quaerit, quae sua sunt*; itaque qui perfecta caritate praeditus est, propriam felicitatem non quaeret. His addendum, veram caritatem amorem esse prorsus gratuitum; at qui Deum amat, ut bonum sibi, amorem ille habet concupiscentiae, qui vitium nonnullum secum fert.

§. CCCXCIII.

Refelluntur.

Quam parum adducta argumenta Pseudomysticis faveant, qui rem profundius rimetur, facile judicabit. Christus Dominus, ut ob sui amorem in ter-

renis fluxisque rebus fiduciam non apponamus, jubet; unde nec mundo, nec concupiscentiis ejus servire debemus; abnegemus etiam nostram voluntatem opus est, immo et odio habendi sunt Parentes, si ipsi impedimentum ponant, ne Deo serviamus (*). At firmiorem inde habere debemus coelestium bonorum expectationem, nam Salvator veniet in gloria, *ut unicuique reddat secundum opera sua* (Matth. XVI. 27.), atque quisquis domum, fratres, sorores, patrem et matrem ob ejus amorem dimiserit, spondetur illi, *quod vitam aeternam possidebit* (Ib. XIX. 29.). Paulus, ut vehemens, quo flagrabat, salutis Judaeorum desiderium exprimeret, asserit, quod si fieri posset, optaret pro ipsis anathema esse. Quamobrem in hypothesi haud possibili loquutum fuisse arbitror; quemadmodum dum scribebat ad Galatas (I. 8.): *Sed licet nos aut Angelus de Caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quis autem ignoret, Angelum de coelo haud posse contraria iis, quae Christus praecepit, annuntiare? Quantum ad alterum Apostoli locum hanc habeas responsionem: illos nempe quaerere, quae sua sunt, qui aliorum salute neglecta, propria ac terrena commoda quaerunt. Quo sensu ad Philippenses scribebat (II. 21.): *Omnes, quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi.* Ceterum, qui Deum amat, ut illo fruatur, majori ac intensiori caritate ei in Patria adhaereat, non quaerit ipse ad Pauli mentem, quae sua sunt. Jam venio ad postremum: Duplex in caritate voluntatis motus considerandus est, *amicitiae* et *concupiscentiae*: per amicitiae motum Deo soli placere quaerimus, ipsius gloriam solam in votis habentes, altero Deum videre, ac possidere cupimus; attamen hic concupiscentiae amor habebit vitium, si ad propriam tantum utilitatem respicismus, verum si ad aeternam vitam propter Deum ipsum anhelemus, ut ardentiori nempe amore illum semper magis prosequamur, amor iste rectum servans ordi-

(*) Hinc ajebat Christus Dominus apud Matthaeum X. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

nem castus est, immo et necessarius, eo quod gratuitus amor sine boni incommutabilis desiderio aut fruitione esse non potest (Vid. *Augustinum* in Ps. LXXII.) (*).

§. CCCXCIV.

Notio operis meritorii.

Meritum in amplissima significatione est *opus praemio vel supplicio dignum*: sensu autem magis proprio acceptum, illud definimus: *bonorum operum, quae sunt ex gratia, quaedam dignitas ac praestantia, ob quam illis sive ex decentia, sive ex justitia rependitur aliquod praemium pertinens ad vitam aeternam.* Rem tamen ex Patrum Tridentinorum doctrina clarius, ac uberius explanemus: docent illi (Sess. VI. cap. 16.), proponendam esse aeternam vitam, et tamquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, et tamquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam. Verum dignitatem horum et excellentiam inde judicant esse repetendam, *quod ipse Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat: quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent.* Quis autem haec serio recogitans, inficias ire possit, opera haec, quae ex inhabitante in nobis Spiritu Sancto, et ex Christi Domini passione, influxu, et gratia virtutem omnem suam nanciscuntur, Deo grata esse ac accepta? Quis jure neget, ea esse aeternae vitae meritoria? Sed praestat adhuc audire Tridentinos Patres: *Neque vero*, addunt, *illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum; et Apostolus testetur, id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis; absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidat,*

(*) Confer Bossueti opera *adversus Quietistas.*

vel glorietur, *et non in Domino*, *cujus tanta est erga omnes homines bonitas*, *ut eorum velit esse merita*, *quae sunt ipsius dona*. Quid? Dicant, quaeso, Acatholici, quid hac in doctrina invenire queunt quod nos vel inflatos aut tumentes reddat, aut quod Christi merita obfuscare queat, si omnia merita nostra beneficentissimum sunt ipsius Salvatoris donum?

Scholion. Ecclesia, quae ex Christi gratia comparamus merita, ex tota antiquitate agnovit, praedicavitque. Ignatius Martyr *epist. ad Rom.* scribebat: *Sinite ut bestiarum esca sim*, *per quam possim Deum promereri*. Cyprianus de *praecept. Eccl.* ajebat: *Praeceptis obtemperandum est*, *ut accipiant merita nostra mercedem*. Ambrosius *lib. I. de off. Meritorum praemia remanent post mortem*. Sed mirum in modum illustrat, firmatque catholicam veritatem Pelagii factum. Quum ipse viribus arbitrii omnia bona opera tribueret, Ecclesia quidem superbum hujus haeretici meritum proscripsit; at, quod ex gratia descendit, magis magisque constabilivit. Hinc Augustinus epist. 105. ad Xystum inquiebat: *Quae igitur sua merita jactaturus est Liberatus*, *cui si digna meritis redderentur*, *non esset nisi damnatus*? *Nullane sunt igitur merita justorum*? *Sunt plane*, *quia justi sunt*, *sed ut justi fierent*, *merita non fuerunt*. Concilium etiam Arausicanum II. Universae Ecclesiae consensu approbatum *Can. XVIII.* decernebat: debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant. Ipsi sacri libri dogma catholicum disertissime probant. *Eccl. XVI.* 15. legimus: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Matth. V.* 12. habetur: *Gaudete et exultate*, *quoniam merces vestra copiosa est in coelis*. Jam vero quum merces a merendo sit dicta, patet, aeternam vitam meritis rependi. Quapropter palam fit, quantis in tenebris versatus fuerit Calvinus, qui *lib. 3. instit. cap. 3.* affirmavit, meriti nomen ab aliquo Sophista rabula invectum fuisse.

§. CCCXCV.

Quae doctrina catholica de merito justorum, et quae Theologorum opiniones.

Quoniam heterodoxorum non pauci hac in controversia quorumdam *scholasticorum* placita, veluti ea essent catholicae Ecclesiae dogmata, impugnarunt, e re visum fuit, quae fides nostra docet, ab his, quae libere in catholicis scholis agitantur, secernere. Quapropter credere oportet. I. Opera hominis justi meritoria, quoniam ab habituali caritate excellentiam sortiuntur suam, atque ab actuali Dei gratia derivant, esse dona Dei. II. Hanc merendi virtutem ex Dei misericordia descendere, qui cum jure Dominii sui opera a nobis bona potuisset exigere, nihilominus iis mercedem promittere voluit. III. Hominis justi opera, quam habent merendi virtutem, hanc ex Christi meritis descendere; quo fit, ut ex Catholicorum doctrina Christi Domini merita commendentur, tantum abest, ut iis derogetur. IV. Hominem in gratia sanctificante constitutum ex operibus Dei gratia patratis, ex ejus misericordia, et Christi meritis augmentum sanctificantis gratiae promereri, ac vitam aeternam. Caeterum primo etsi Theologi meritum distinguant duplex, *de congruo*, scilicet ac *de condigno*, ac primum inesse dicant operibus ante justificationem ex gratia elicitis, alterum tribuant bonis operibus ab homine justo patratis; tamen ad catholicam fidem minime pertinet, dari meritum vel *de congruo*, vel *de condigno*. II. Nec hujusmodi merita esse potius ex justitia, quam ex fidelitate Divinae promissionis. III. Neque ea hujusmodi esse, ut ex justitiae rigore iis debeatur merces. IV. Nec definitum fuit, omnia bona opera justorum esse vitae aeternae meritoria, si caritatem excipias, atque ex ea descendentem contritionem perfectam. V. Neque justum posse pro aliis mereri, aut peccatoris conversionem, aut aliam gratiam: his enim de rebus Tridentini Patres nihil decreverunt, variumque est Theologorum judicium.

Scholion. Meritum *de congruo* dicitur: *Opus bonum dignum divina retributione ex decentia et gratuita liberalitate:* Meritum *de condigno*, vel in rigido verborum sensu accipitur, atque opus est bonum, *cui merces debetur ex perfecto rigore justi-*

tiae: meritum hoc soli Christo Domino convenit; vel in sensu communi sumitur, atque opus est, cui ex justitia merces debetur: hoc meritum *de condigno* a Theologis generatim receptum est, atque videtur ipsis sacris litteris consentaneum; nam *Apocal. III.* ii, qui inquinati non sunt, dicuntur *digni* ut cum agno in albis ambulent. Vid. librum, cui titulus: *Secretio eorum, quae sunt de fide, ab iis, quae non sunt de fide*, excerptum ex regula fidei Francisci Veronii Viennae 1734. Confer. Bellarminum *lib.* V. *de Justif. cap.* 16. seq. Wallemburgicos *lib. de meritis cap.* 3. seq.

§. CCCXCVI.

Quae conditiones operis meritorii.

Communis est Catholicorum omnium doctrina ad opus meritorium nonnullas conditiones requiri. Omnes vero in eo conveniunt I. operis bonitatem esse necessariam. Et quidem Deus ipse Cainum increpans ajebat (Gen. IV. 7.): *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* hinc Paulus scribebat (ad Rom. II. 6. 7.): *Qui reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.* II. Exigi statum viae: nam apud Ecclesiasticum legimus (XIV. 17.): *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum*; cui consonat Joannes ajens (IX. 4. Confer. *August. tract. 44. in Joan.*): *Venit nox, quando nemo operari potest.* III. Libertate opus esse; quam conditionem a Luthero ejusque asseclis aliquando repudiatam, omnino praerequisitam esse his evincitur (Eccl. XXXI. 10.): *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: tum ubi libertas non est, ibi nec merces dari potest, nec corona (§. CCI.). IV. Requiri gratiam Christi actualem, quae ad initium, progressum, consummationem cujuslibet operis salutaris necessaria est. V. Tum gratiam sanctificantem, et habitualem; quandoquidem Christus nos docuit (Joan. XV. 4.): *Manete in me, et ego in vobis, sicut palmes non potest fructum ferre a semetipso, nisi manserit in vi-*

te, *sic nec vos*, *nisi in me manseritis*. Qua de causa Tridentini Patres meritum bonorum operum inde repetebant, quod Christus sicut caput in membra, sicut vitis in palmites virtutem suam influit (§. CCCXCIV.). Praeter hasce conditiones ab omnibus admissas, duas adhuc, quas etsi nonnulli Theologi respuunt, veluti ipsis sacris litteris consentaneas admittimus: nempe ad opus meritorium requiri adhuc promissionem divinam; enimvero Jacobus inquit (I. 12.): *Beatus vir*, *qui suffert tentationem*, *quoniam cum probatus fuerit*, *accipiet coronam vitae*, *quam repromisit Deus diligentibus se*; atque Tridentini Patres vitam aeternam justis tamquam gratiam misericorditer promissam esse proponendam docebant (§. CCCXCIV.); necessarium insuper esse influxum ejus caritatis, quae virtus specialis est, ajente Salvatore (Joan. XIV. 21.): *Qui diligit me*, *diligetur a Patre meo*, *et ego diligam eum*, *et manifestabo ei meipsum*. Unde et Augustinus scribebat (*De spir. et litt.* cap. X.): *Non enim fructus est bonus*, *qui de caritatis radice non surgit*.

Scholion. Heterodoxorum non pauci, ut statutam catholicam doctrinam convellant, ad promerendam aeternam vitam has conditiones statuunt. Primo, volunt opera esse undequaque perfecta, non tantum ratione partium, ut nempe omittamus numquam, quod facere debemus; sed etiam ratione graduum, scilicet, ut cum illa caritatis perfectione, quam Lex evangelica jubet, semper agamus. Conditio tamen ista a veritate aliena est. Ad meritum enim haud requiritur, quod in venialia peccata numquam cadamus; sed satis est, ut gratiae actualis auxilio, et per Spiritum Sanctum in nobis habitantem opera bona tantam dignitatem acquirant, ut sint *fons aquae salientis in vitam aeternam*. Joan. IV. 14. Unde opera nostra eam habere debent perfectionem, quae praesentis vitae statui apta, ac idonea sit. Hinc Paulus ad Philip. III. 12. scribebat: *Non quod jam acceperim*, *aut jam perfectus sim*, *sequor autem*, *si quo modo comprehendam*: nihilominus II. ad Timoth. IV. 8. coronam justitiae a Christo justo Judice expectabat. Altera, quam exigunt, conditio est,

opus meritorium esse debere prorsus indebitum: nituutur autem in Christi Domini verbis, *Lucae XVII. 10. Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus.* Sed neque hac in parte rem acu tetigerunt. Nam et servus de Domino, et filius de Patre, quum mandata custodiunt, et cum amore faciunt, optime merentur. Quo fit, ut causa, cur mereamur, non sit opus quod debetur, sed libera ejusdem exequutio; secus nec Christus Dominus promeritus fuisset, qui Patris praecepta servare tenebatur. Servi autem inutiles a Christo Domino dicimur, quum ea fecerimus, quae nobis sunt justa; quoniam utilitas nulla ex iis in Deum redundat, tum quia merita nostra sunt ipsius dona; unde in viribus nostris nec confidere, nec gloriari possumus, aut debemus. Servus etiam inutilis hoc loco non minus, quam *Matthaei XXV.* 30. idem est, ac servus *cessator*, ut ex Syro evincitur; quapropter jubet Christus, ne cessemus ab obedientia, et custodia Divinorum mandatorum, sed in iis usque in finem perseveremus: quod si praestabimus, a Salvatore audiemus: *Euge serve bone et fidelis ..... intra in gaudium Domini tui. Matth. XXV.* 21. Tertiam statuunt conditionem, quod opera, ut sint meritoria, nostra esse debeant, non illius, a quo expectamus mercedem: hallucinantur; enimvero, quamvis bona opera ex Dei gratia in nos derivent; sunt tamen etiam et nostra, quod patet ex verbis Christi apud Joannem XV. 5. *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Unde nil aliud evincent adversarii, nisi quod absque Dei pacto, ac promissione opera nostra haud promereantur gloriam, ad quam Divina misericordia destinantur. Contendunt postremo requiri proportionem, et aequalitatem inter opera, ac mercedem. Sed inquio non esse quidem aequalitatis proportionem opus inter ac mercedem, si ipsius operis substantiam inspiciamus; adesse tamen, si perpendamus sanctificantem gratiam, et Spiritum sanctum in nobis habitantem, qui operibus nostris sua liberalitate dignitatem, ac excellentiam attribuit. Ipse enim *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei,*

et haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur, ad Rom. VIII. 16. 17.

§. CCCXCVII.

Quid mereri possimus.

Dubium est nullum, quemadmodum adversus Pelagianorum errores docet Ecclesia, gratiam quae fidem praevenit, ita esse gratuitam, ut ratione nulla quis promereri eam possit (§. CLXVIII.); sanctificantem non minus gratiam, qua ex peccatoribus justi reddimur de *condigno* sive ex *justitia* non promeremur, quum justificemur gratis per redemtionem, quae est in Christo Jesu (§. CCCLXIX). Nec justus vere mereri potest, ut in accepta justitia permaneat, quum ad id praestandum victrix Dei gratia necessaria sit, quae cur uni detur, denegetur alteri, ad impenetrabiles Dei vias recurrit Augustinus (§. CXCVI.); id tamen *de congruo* sive ex *decentia* merebitur, si propriam noscens infirmitatem ad Deum confugiat, ac in ipso spem suam reponat. Unde etiam consequitur, neminem posse perseverantiam finalem, quae praestantissimum Dei donum est, promereri (§. CLXXXII.); at si orationibus instemus, eam merito, quod *de congruo* vocare solemus, possumus obtinere (*). Qui a justitia recesserit, gravique inquinatur peccato, ex justitia reparationem suam promereri nequit. Quid itaque vere possumus promereri? Doceant nos Tridentini Patres: *Si quis dixerit*, ajunt (Sess. VI. can. 32.), *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus. . . non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae consequutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.*

Scholion. Homo justus haud potest alteri gratiam sive actualem, sive habitualem de condigno promereri: nulla enim adest promissio, qua Deus propter alterius hominis meritum, se alteri gratiam

---

(*) Augustinus *de dono persev.* cap. 6. inquit: *Eam suppliciter emereri possumus.*

conferre obstrinxerit. Sola enim Christi Domini merita omnem gratiam ob operantis personae infinitam dignitatem nobis promerentur. De congruo tamen ex aliorum precibus Deus permovetur, ut peccatori gratiam largiatur. Ita Augustinus precibus sanctae matris Monicae suam obtinuit a Deo conversionem; eodem decentiae merito potest quis sibi aliisque bona temporalia promereri, quae ad suam, aliorumque salutem ordinata sunt. Caeterum his fluxis bonis non est inhaerendum; ad Deum, qui nostra merces est, ac beatitudo, mentem ac animum convertamus, oportet. Qui justus est, perpendat, quanta sit dignitas, ut filius Dei nominetur, et sit; caveat tamen, ne in se, aut viribus suis confidat, aut glorietur, Deumque enixe exoret, ut tanta gratia eum suffulciat, quanta opus habet, ut in accepta justitia, ac sanctitate constanter perenniterque permaneat: nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. X. 22.*

DE

FRUITIONE SALUTIS

PER CHRISTUM PARTAE

POST VITAE HUMANAE EXITUM.

CAPUT I.

De mutationibus antecedentibus particularibus.

§. CCCXCVIII.

Lex moriendi pro omnibus lata.

QUAMVIS saeculo praesertim nostro, quo opinandi, ac sentiendi libertas ad summum fere gradum pertigisse videtur, invenias facile, qui revelatis veritatibus singulis bellum moveant: tamen qui legem moriendi pro omnibus latam fuisse neget, inventus est nemo unus; tristi haud dubie experientia docente, mortem aequo pulsare pede tabernas pauperum, Regumque turres. Nil itaque certius veriusque illa Pauli (ad Hebr. IX. 27.) sententia: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

SCHOLION. De iis tamen, quos dies adventus supremi Judicis vivos reperiet, anne hi etiam morituri sint, et subito ad vitam revocandi; an in vivis degentes ad Judicium sistendi sint? res non est admodum perspicua. Nihilominus, quoniam sacrae litterae a lege moriendi excipiunt neminem (Ps. LXXXVIII. 49. Job XXX. 23. ad Rom. V. 12.) inducor, ut credam, hos etiam fore obituros. Vid. Augustinum lib. XX. *de civ. Dei* cap XX. Confer. Gotti *de fine mundi* quaest. IV. Estium lib. IV. dist. 43. §. VII.

§. CCCXCIX.

In poenam peccati.

Hominis corpus ita fuisse ex sua constitutione comparatum, ut ad dissolutionem tendere posset, non eo inficias; tamen si in rectitudinis, quo con-

diti fuerant statu, permansissent Parentes primi, atque Dei mandato obtemperassent, numquam procul dubio morituri fuissent. Plantaverat quippe Deus in Paradisi medio arborem vitae (Gen. III. 22.), cujus fructibus virtutem indiderat, corporis vires reficere, vitamque hominis conservare, ne vel infirmitatibus, vel tempore deficeret, rueretque (Vid. Augustinum *de Civ. Dei* lib. XIII. cap. 20. et *de Gen. ad litt.* VII. cap. 4. 5.): a caeteris non minus, quae ingruere potuissent, periculis, singularis Dei providentia ipsos reddidisset immunes. Quapropter si humanum genus universum legi mortis subditum intuemur, in peccati poenam id contigisse dicendum est. Res omnino perspicua est. Nam Deus Adamum alloquens ajebat (Gen. II. 17.): *De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas, in quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Hebraeus fons habet מות תמות: *moriendo morieris*, scilicet evitare amplius non poteris (*). Violavit incautus, ac tumidus homo Divinum praeceptum, audivitque punientis judicis vocem: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gen. III. 19.). Lucem huic veritati affundunt verba auctoris Libri *Sapientiae* (II. 23.): *Creavit Deus hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum: invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Quid plura desideramus? Quum Apostolus dicat per peccatum mortem in mundum hunc intrasse (ad Rom. V. 12.), atque corpus mortuum esse propter peccatum (Ibid. VIII. 10.)? Quae perpendens Augustinus scribebat (Lib. II. *de pecc. mer.* cap. IV.): *Corpus mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terrae pulvere factum est, sed propter peccatum. Quid amplius quaerimus?* Compertum itaque est, in peccati poenam moriendi pro omnibus legem a Deo latam fuisse.

Scholion. Pelagiani, quorum errores e cineribus suscitarunt Sociniani, arbitrantur, mortem condi-

(*) Rem bene exprimit versio Arabica: *Nam in die comestionis tuae ex ea mereberis mori*, atque Symmachus, et S. Hieronymus legunt: *mortalis eris.*

tionem esse prorsus naturalem; ita ut si primi Parentes non peccassent, adhuc tamen morituri essent; quorum errorem laudata Ss. Litterarum oracula abunde revincunt. Nihilominus, ut rem melius percipiamus, animadvertere oportet, immortalitatem esse aliam, quae spiritualibus substantiis convenit; alteram quae purum est Omnipotentis Creatoris beneficium: quare natura illa, quae ex sua constitutione ad interitum tenderet, ne deficiat, conservatur. Atque postremum hoc immortalitatis genus hominibus si non peccassent tribuimus. Observandum non minus est, inter *mortale*, *et moriturum*, non exiguum adesse discrimen. Mortale illud est, cujus si inspicias naturam, mori potest. *Moriturum* vero, id, quod revera mori debet. Quamobrem primorum Parentum corpus in se consideratum mori potuisset ante peccatum (nec enim immortalitas erat naturae proprietas), sed ob gratiae Divinae beneficium numquam fuisset moriturum (Vid. Berti de *Theol. discip.* lib. XII. cap. 13.): ex quibus difficile non erit Socinianorum ac incredulorum non pauca argumenta refutare. Nec urget multum, quod Euremondius affirmat, *examen de la Religion* ch. VIII. §. 8., terram haud fuisse suffecturam, si hominum nemo mortuus fuisset; enimvero post diuturnum felicis in hac terra vitae spatium ad instar Enoch, et Eliae transferri potuissent viventes in coelum.

§. CCCC.

Manent animae ab hominis morte superstites.

Mors commercium tantum, ac unionem, quae animam inter ac corpus adest, solvit. Corpus ex elementis ad dissolutionem tendentibus compositum in tenuissimas pedetentim partes abit; anima, qua spiritualis est, nec partibus composita, sed simplex, dissolvi nequit; unde post mortem superstes esse debet. Jam vero humanam mentem spiritualem esse, inde patet, quod ipsa percipiat, cogitet, judicet, ratiocinetur. Quae proprietates, si ex ideis, quas habemus, philosophari velimus, tribui nequeunt materiae, in qua extensionem, soliditatem, divisionem, quietem, et motum advertimus. Haec singula materiae attributa quocumque modo ordines, dividas, subdividas, moveas, uti sensu intimo, ac

experientia quisque percipiet, numquam idonea erunt ut cogitatio, judicium, ratiocinium prodeat. Alterius itaque a corpore ordinis humanus animus esse debet, naturae scilicet spiritualis; cumque corporis natura sit composita, et divisibilis, animus toto coelo a materia discrepans simplex etiam est, et indivisibilis. Quo fit, ut soluto corpore anima, cujus natura est cogitare, ac ratiocinari, his proprietatibus ornata adhuc debeat esse, ac post hominis mortem superstes. Sacri libri hanc veritatem in toto suo lumine ponunt. Ecclesiastes monet homines, ut creatoris sui reminiscantur, antequam *revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum* (XII. 7.); Salvator autem discipulos suos edocebat, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (Matth. X. 28.). Porro, quod animi maneant post mortem superstites, Ethnici ipsi veteresque Philosophi, Historici, Poetae tradiderunt.

Scholion. Qui ad occultas materiae proprietates confugiunt, ut inde cogitationem eliciant, ac ratiocinium, timet, si in rebus physicis ad occultas qualitates aliquem confugientem audirent, risu, ac cachinnis exciperent. Non negaverim, omnes plane materiae proprietates nobis haud esse perspectas; nihilominus fidenter assero, eas quoque, quae adhuc ignotae sunt, cum extensione, soliditate, impenetrabilitate, figura, mobilitate convenire prorsus debere. Hinc post exantlatos a doctissimis viris immensos labores, peractis jam tot experimentis, quidquid in materia repertum fuit, cum his essentialibus proprietatibus, necessariam relationem habet. Porro, quis ferat delirium auctoris *du sisteme de la nature*, qui ad efformanda ratiocinia profundissima, ac carmina elegantissima materiae quasdam particulas, *moleculas* vocat, quibus cerebrum nostrum compositum est, sufficere autumat? At quomodo? En admirandam problematis solutionem. Concipies, ait, Virgilii caput veluti urnam, aut tubum, aut potius fritilli ad instar repleti his mate-

riae moleculis diversissimo modo elaboratis: exagitatur fritillus, materiae moleculae combinantur ita, ut foris prodeant sublimes cogitationes, ratiocinia, poemata. Dicam cum Paulo *ad Rom. I. 21. Evanuerunt in cogitationibus suis; et obscuratum est insipiens cor eorum!*

Cudworthus *in syst. intellect.* cap. I. §. 22. antiquissimos Philosophos mentes corpore vacuas adseruisse demonstrat. Confer Grotium *de verit. Relig. Christ.* lib. I. §. XXII. Francescati *principia Relig. nat. et rev. tom. II. sect. 3. c. 4. et sect. 4. c. 3.* Acatholicorum nonnemo arbitratur, non paucos Ecclesiae Patres existimasse humanam animam a corporea concretione non omnino liberam esse. At ii, si Tertullianum excipias, vel id statuunt, ut ostendant humanum spiritum differre quam plurimum ab excellentia, et nobilitate Dei, vel quia Platonem sequebantur, qui homini tres partes tribuebat, mentem, animam, ac corpus, ac primam omnino simplicem, ac spiritualem, alteram corpoream dicebat, ex subtili quadam aerea, ac lucida substantia formatam. Unde cum mens, sive animus a crassiori corporea substantia solutus esset, ipsi adhuc quaedam humana forma post mortem ex aerea substantia superesse putabatur. Vid. Calmet dissert. *de nat. animae.*

§. CCCCI.

Dictionarii philosophici cavillatio refellitur.

Materia, quae nobis ignota non est, inquit Voltairius, nonnullis gaudet proprietatibus, quae nec materiales sunt, nec divisibiles. Nam haec gravitationem habet versus centrum, gravitas autem nec partes habet, nec est divisibilis. Vis corporum motrix, corporum organicorum vegetatio, vita, instinctus partibus carent, nec dividi possunt. Fieri itaque potest, ut materia cogitet. Verum nihil solidi dixit: Gravitas, ut ajunt Philosophi, cum materiae quantitate habet proportionem; ita ut si quantitatem augeas, minuas, vel dividas, materiae gravitas augeatur, minuatur, dividatur. Nemini enim incompertum est, *sex* librarum pondus in *tres*, ac *tres* dividi: unde gravitatio ejus divisibilis est, quum diviso pondere divisa gravitatio habea-

tur. Vim corporum motricem, si in prima causa nempe rerum omnium formatore Deo consideres, partibus minime componi certum est; nihilominus, si de illa vi loquaris, qua corpus unum pellit aliud, movetque, corpus movens tantum de sua vi perdere, quantum alteri communicat, oculis ipsis intueri queas; quo apparet vim hanc esse partibilem. Idem quantum ad corporum vegetationem dicas, oportet. Quippe abscindatur a vite surculus, si ille plantetur, germinare incipit, nec a vegetatione sua desinit vitis, unde in surculi amputatione succi nutritii, quo vitis alitur, vegetaturque, pars intercipiebatur, ac proinde vegetationis pars fuit abscissa. Vita autem, ac instinctus non sunt quidem composita partibus; modi tamen ac proprietates sunt corporum partibus compositorum, immo affectiones illae ad motum commode referri possunt. Instinctus enim canis quantum ad corpus organicum, ac materiam, de qua Voltairius loquitur, aliud non est, quam constans ac non interruptus ordo operationum, ac motuum, secundum leges a Deo constitutas. Eorundem corporum organicorum vita in motu aequabili, ac perenni fluidorum, et solidorum consistit. Quamobrem cum motus suam quantitatem habeat, suas mensuras, suas partes, ac dividi possit, et revera dividatur; explorata res est, partes illas ad materiae naturam pertinere, ac proprietates esse divisibiles, sicuti materia est, cui inhaerent. Cogitatio autem nec materiae pars est, neque proprietas; immo a materiae qualitatibus toto, ut ajunt, coelo discrepat.

Scholion. Vid. Valsecchi *de fundamentis Religionis* lib. I. c. IV. Bergier *refutation des princip. articles du dictionaire philos. art. Ame.*

§. CCCCII.

Humanus animus spiritualis est, unum quid simplex, et indivisibile (§. CCCC.), quo fit, ut *nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi possit: nec interire igitur: est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac direptio earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur;*

inquit eleganter Tullius (*Libr. I. Tuscul. quaest. c.* 29.). Porro, quod interire nequit, illud merito dicitur immortale. Quam doctrinam vetusti populi agnoscebant, ac praedicabant: Chaldaei, Magique Persarum (Teste Pausania in Messeniacis c. 32.), Ægyptii (Vid. Herodotum lib. II. c. 123. Diodorum biblioth. hist. lib. I. Diogenem Laertium prooem. segm. II.), Indorum Brachmanes (Confer Strabonem lib. XV.) tum Graeci, ac Romani, quum veritate ac honestate ad sapientiam investigandam perducebant. Ex plurimis autem sacrorum librorum oraculis haec duo sufficiant, quibus fides immortalitatis animorum clare demonstratur: *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis* (Sap. III. 1.); atque Christo Domino docente, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam* (Joan. XII. 44.).

Scholion. Warburton *Divina legatio Moysis vol. II. libr. II.* §. I. veteres graecos Poetas, qui de nationis suae moribus, ac reliquorum populorum scripserunt, hanc de animorum immortalitate fidem ubique depraedicasse affirmat. Hanc etiam doctrinam tradiderunt Graeci Philosophi: Socrates apud Platonem in *Phaedone* animae immortalitatem ex antiqua traditione agnoscere videtur. Plato ipse ep. VII. ex sacris, antiquisque traditionibus id repetit. Aristoteles a Plutarcho laudatus in *Consol. ad Apoll.* de hominum post hanc vitam felicitate, uti de opinione vetustissima loquitur, cujus nec auctorem, nec originem noscere possimus. Verum num Aristoteles ipse animas agnoverit immortales eruditi disputant. Benedictus Pererius *de communibus rerum nat. princ. et affect. lib.* VI. Augustinus Oregius, aliique plures affirmant. Cudworthus nihil certi de Aristotelis mente statui posse judicat; at veritatem hanc negasse pluribus ostendit Mosheim *ad tom. I. Cudworthi pag. 88.* seq. At certe hanc antiquam traditionem obscurare conati sunt Democritus, Cynici, Cyrenaici, Epicuraei. Non pauci etiam ex Peripateticis Stobaeo teste *Eclog. Phys.* p. 116. animam ut simplicem qualitatem considera-

bant, similem harmoniae musici instrumenti, quae moriente corpore prorsus evanesceret. Litteratorum Sinensium sectam eodem in ipso fixisse pedem tradunt Navarrettus, et Longobardi. Nec omnes, qui arbitrantur animos esse post mortem superstites, animae immortalitatem agnovere. Clare de Stoicis id asserit Cicero *lib. I. Tusc. quaest. Ajunt, animos manere, quum excesserint, sed non semper.* Confer Plutarchum de *placitis Philosophorum* lib. IV. c. 7. Laertium *lib. VII.* Numenium apud Eusebium *Praep. Evang. lib. XV.* cap. 20. Sane Stoici quasdam agnoscebant saeculorum periodos, quibus evolutis perire omnia, solo summo Jove excepto, affirmabant. Vid. Plutarchum *adversus Stoicos.* Ex hac ipsa Philosophorum secta legantur Epictetus *dissert.* lib. III. cap. 13. Seneca *de consol. ad Marciam.*

§. CCCCIII.

Subsequitur judicium particulare in aditu aeternitatis.

Supremus rerum omnium formator Deus humano generi leges dedit, quas creationis, conservationis, ac redemtionis titulo custodire tenentur. Sunt, qui Divinis mandatis obtemperant; plures invenire est, qui ea negligunt, violantque. Deus, quia Sanctus est, virtutem diligere, ac vitium nonnisi adversari potest; ipse natura sua justus cuique secundum opera sua retribuere debet. Porro quum animi maneant a morte superstites (§. CCCC.), ac bonis hac in vita praemia, malis supplicia non semper rependantur, consequitur, Deum qui Judex sapientissimus est, integerrimus, inexorabilis, in aditu aeternitatis, sive in vitae exitu quemlibet fore pro meritis judicaturum. Hinc et in sacris libris legimus (*Eccl. II. 28.*): *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. . . . et in fine hominis denudatio operum illius.* Id agnoverunt Cyprianus (*Lib. de mortal.*), Chrysostomus (*Hom. XIII. in Matth.*), Augustinus, qui etiam scribit: *Nam illud, quod rectissime, et salubriter* (de quodam juvene loquitur) *judicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo oportet jam redditis corporibus judicari. . . . hocne tandem ipse nesciebat?*

Quod etiam solidissimis argumentis futurum fore demonstrat (*De anima et ejus orig. lib. II. n. 8.*).

§. CCCCIV.

Inde mox aut praemiis animae afficiuntur, aut suppliciis.

Errabant sive ii, qui animas a corporis concretione separatas de futuro praemii, aut poenarum statu incertas fluctuare affirmabant, sive illi, qui eas alto veluti sopore pressas ad diem usque universalis judicii quiescere contendebant. Enimverò animus corpori superstes, ac immortalis (§. CCCCII.) proprietatibus, quae ad naturam suam attinent, uti est cogitare, percipere, judicare, carere nequit (§. CCCC.). Ipse non minus ex sui constitutione ad gaudium, vel ad dolorem aptus, ac idoneus est: quo fit, ut lata in vitae exitu pro cujusque hominis merito a supremo Judice sententia (§. praec.) praemium illico recipere debeat, aut poenam. Quod inficias ire nequit, qui perpendat, impium Divitem vita functum in inferno sepultum fuisse, ac cruciatum; justum autem Lazarum in Abrahae sinu quietam, tranquillamque in consolationibus vitam degisse (*Lucae* XVI. 22. seq.); tum Salvatorem ipsum contrito, pioque Latroni dixisse: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid. XXII. 43.*). Fides haec ex primaeva traditione derivata apud Ethnicos ipsos altas radices fixerat, quamvis fabellis haec sicuti et alia suae Theologiae capita plurimum obfuscata esset, ac inquinata. Hinc Æacus, Minos, Rhadamantus, qui animabus piis Elysios campos, scelestis gravia supplicia decernerent.

Scholion. Vetustus fuit Millenariorum error, animas usque ad diem universalis judicii haerere incertas. Errarunt non minus Sociniani putantes animas post corporis obitum nihil cogitare, ac veluti sopore obrutas esse. Turpius adhuc hallucinabantur Tatianus *orat. contra Graecos*, ac Arabici, de quibus Augustinus haer. 83. qui eas cum corpore interire, atque resuscitandas esse in die judicii affirmarunt.

Dogma de poenis ac praemiis post hanc vitam futuris civitatis bono utilissimum esse, addubitabit sapiens nemo. *Quam multos*, ait Cicero, *de legibus*

lib. II. c. 7. *Divini supplicii metus a scelere revocavit*? Unde praeclare monebat Polybius *lib. VI.* cap. 54. seq. errasse in sana Politica magistratus, qui dogma de vita futura non conservarunt in populo. Hinc etiam corruptionis causam in Graeciae moribus reponit. Epicuri doctrinam, quum apud Romanos invalescere coepit, eorum corda, ac spiritum corrupisse bene observat Montesquieu *Grandeur, et decadence des Romains* Ch. X. Immo Hume *essais philosophiques* asserit, eos qui populum a fide praemiorum, et poenarum post mortem avocare curant, haud considerandos esse ut bonos cives; sed nec bonos esse politicos, eo quod fraenum ad reprimendas passiones idoneum frangunt, ac liberam magis reddunt infractionem legum. Quorsum haec? nempe ut quisque intelligat, quantum sibi cavendum sit ab iis libris, quos nostra aetas magna in copia peperit, ubi adversus Sanctissimae Religionis nostrae dogmata, ac ipsam animae immortalitatem perfricta fronte pugnatur.

§. CCCCV.

Justorum animae, quibus nil luendum superest ad gloriam sine dionelati mittuntur.

Quas in vitae exitu Deus animas judicavit, eae pro meritis, aut praemio aut poena afficiuntur (§. praec.): at vero praemium, quod morte sua fidelibus pie viventibus peperit Christus, regnum coelorum est, ac vita aeterna (*Joan.* III. 5. 16. 36.); itaque justorum animae, quibus nil purgandum superest, sempiterna felicitate nec ad tempus minimum fraudantur. Hinc ajebat Apostolus (*II. ad Corinth.* V. I. seq.): *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. . . . bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum:* item (*Ad Philipp. I.* 23. 21.): *Cupio dissolvi, et esse cum Christo: mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Porro si animae a corporibus divulsae, penitusque jam mundae aeterna felicitate haud statim fruerentur, possiderentne, terrena soluta, aeternam habitationem in coelis? Essentne praesentes ad Dominum? Quod habent ardens cum Christo degendi desiderium sa-

tiaretur? Lucrumne haberent ex morte? Minime gentium. Dicamus itaque oportet, Pauli doctrinam esse, animas plene purgatas ad coelestem patriam sine dilatione mitti. Veniamus ad Traditionem. Clemens Romanus (*Epist. ad Corint.*): *Accipiamus*, inquit, *prae oculis bonos Apostolos*: *Petrus*. . . . *multos sustinuit labores*, *atque ita Martyr effectus discessit ad debitum gloriae locum*: *Paulus patientiae praemium obtinuit*. S. Ignatius (*Epist. ad Rom.*): *Sinite*, ajebat, *me ferarum escam fieri*, *per quam licet Deum adipisci*. . . . *sinite purum lumen haurire*, *meus amor crucifixus est*. . . . *et loquens in me*, *Veni ad Patrem*. Hermas (*Simil. III.*) scribit, omnes, qui pie obeunt, poenitentibus exceptis, in coelis coronari. Accedunt Polycarpus B. Joannis Apostoli discipulus (*Epist. ad Philipp. apud Eusebium lib. III. hist. c. 36.*), Ecclesia Smyrnensis, dum de eodem S. Polycarpo jam martyre sermonem instituit (*Epist. n. 11.*), vetustissimus, ac coaevus auctor actorum S. Symphorosae, et filiorum ejus (circa *an.* 120.), Athenagoras (*Apol. pro Christ.*), Clemens Alexandrinus (*Libr. V. Strom.*), Origenes (*Prol. in Cantica*), Cyprianus (*Exhort. ad Mar.*), Athanasius (*De vita Antonii*), Ephrem Syrus (*Opus. III.*), Basilius (*Epist. LXXIV. ad Occident.*), Gregorius Nazianzenus (*Orat. LI.*), Nyssenus (*Orat. fun. in Pulcheriam*), Chrysostomus (*Orat. de S. Philogono*), Cyrillus Alexandrinus (*Ad Reginas*) aliique plures. Hinc merito a PP. Florentinis (*In defin. fidei.*) ac Tridentinis (*Sess. XXV. de invoc. SS.*) haec fidei veritas definita fuit.

Scholion. Vigilantius, ut ex Libro S. Hieronymi adversus hunc conscripto apparet, animas Sanctorum ante resurrectionem corporum admittendas esse ad visionem Dei ivit inficias: consentiunt recentiores Graeci Schismatici, ut videre est apud Renaudotium *observ. in lit. Syr.* p. 106. tum Calvinus *lib. 3. instit. cap. 25. n. 6.* atque praesertim Thomas Burnetus libro *de statu mortuorum*. Hujus erroris Architectus fuit Papias Hieropolitanus Episcopus, ob cujus sanctitatis opinionem adstipulati

sunt Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Nepos, Lactantius, quamvis tamen ex his nonnemo Martyribus aeternam gloriam a morte concedit. Caeterum horum hac in re auctoritas, si cum auctoritate, et numero laudatorum jam Patrum conferatur, ponderis longe minoris esse videbitur. Equidem scio, nonnullos esse, qui autument hac in eadem de dilatione usque ad extremum judicii diem sententia fuisse Ambrosium, ac Augustinum: at perperam. Enimvero, etsi Ambrosius lib. *de bono mortis* quaedam animarum *promptuaria*, ubi usque ad diem universalis judicii degunt, adstruat; atque Augustinus in abditis quibusdam receptaculis retineri scribat; tamen ille per haec promptuaria diversas coeli mansiones secundum Christi verba *Joan.* XIV. 2. intellexit; atque cum ait, eos remunerationem expectare, de corporum resurrectione, et gloria accipi debet. Augustinus vero abdita, quantum ad cognitionem nostram, receptacula animarum vocat; quum post universale judicium, locum, sortem, mercedem, quam cuique justissimus judex distribuet, intueri licebit; atque etsi de loco addubitasset, non tamen de felicitate. Nam *lib. IX. conf. cap. III.* de Nebridio amico suo scribit: *Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem suum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix*: unde apparet, cui aliquando adhaeserat Millenariorum sententiae nuncium misisse, ac revocasse. Hilarius etiam, et Bernardus de plena, completa, et perfecta beatitudine animae non minus, quam corporis loquuntur. De Joanne XXII. gravis est inter Eruditos controversia. Certum est morti proximum hoc fidei suae testimonium dedisse. *Fatemur, et credimus, quod animae separatae a corporibus sunt in coelo, et vident Deum facie ad faciem, ac clare, in quantum status, ac conditio compatitur animae separatae.* Confer Estium lib. IV. *dist.* 46. §. VI. Berti, L' Herminier, Witasse, et Cl. Gazzaniga.

§. CCCCVI.

Veritati jam firmatae nihil ponderis inde detrahitur, quod Christus primum in die universalis ju- Quaedam difficultates solvuntur.

dicii dicturus sit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV. 34.), sive quod in Evangelica parabola (*Ib.* XX. 8.) paterfamilias ad vesperam, nempe, ut multi volunt, ad mundi exitum singulis operariis mercedem rependendam velit: aut quod Paulus de Sanctis dicat (*Ad Hebr.* XI. 26.): *Nunc autem meliorem appetunt patriam, id est coelestem*: vel quod Joannes (*Apoc.* VI. 19.) animas Martyrum sub altare viderit; iisque sanguinis sui exposcentibus vindictam dixerit: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Salvator enim commemoratam sententiam non animabus a corporum concretione secretis, quae penitus mundae, jam in coelis beatae degunt (§. praec.) proferet, sed hominibus jam ad vitam revocatis. Vesperam autem de fine vitae cujuslibet hominis accipere debemus: quod si ad mundi exitum quis amet referre, de beatitudine completa animae et corporis intelligat, oportet. Verba Pauli haud praesentem animarum statum, sed id, quod Pharaoni Jacob dixerat, *dies peregrinationis meae*, respiciunt: hinc particula *nunc* illativae conjunctionis vim habet, atque significat: *at vero*, *itaque*. (*) Unde sensus Pauli est: Patriarchae se hospites fatebantur, ac peregrinos super terram: non quatenus a patria, in qua lucem aspexerunt, dissiti erant: nam si hanc exoptassent, ad eam utique reversi fuissent; *nunc autem*, id est, *itaque* meliorem Patriam appetebant, id est, coelestem. Joannes, qui sub Altari Martyrum animas viderat, eas postea (VII. 13. seq.) *amictas stolis albis* ante Dei Thronum intuetur. Completum vero electorum numerum expectare jussae sunt; ut resurrectionem corporis, atque stolam alteram, eorundem scilicet corporum immortalitatem ac gloriam una cum ipsis obtineant.

§. CCCCVII.

De veteribus justis in sinu Abrahae quiescentibus.

Par tamen fuisse non videtur veterum justorum, ac eorum, qui post Christi adventum vixerunt sta-

(*) Vid. Estium lib. IV. dist. XLV. §. V.

tus, ac conditio; isti ob Salvatoris triumphum, gloriosamque in coelis ascensionem apertis, quae ob Adae delictum obseratae erant, coeli januis aeterna felicitate, ac Dei visione fruuntur (§. CCCV.), illi vero remoto quodam in loco, qui *sinus Abrahae* dicitur in spe venturi Liberatoris detinebantur (§. LXI.), ubi a poenis omnique animi perturbatione liberi, solamen quidem, ac quietem obtinebant, nihilominus beatifica visione, ut communis Theologorum sententia tenet, necdum donabantur. Huc pertinere videntur verba Pauli (Ad Hebr. IX. 15.): *Novi testamenti mediator est* (Christus), *ut morte intercedente in redemtione earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis*; tum ista de veteribus justis pronunciata (Ib. XI. 13. 40.): *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe aspicientes, et salutantes. . . . . Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummaretur.* Caeterum, quoniam Scripturarum oracula, quae ad propositam doctrinam firmandam proponi solent, non admodum perspicua sunt, ac quae de Sanctorum ab inferis liberatione dicuntur, de animabus in purgatorio degentibus accipi queunt, neque explorata est, ac clara traditio; hinc nec desunt praestantes viri, qui animabus Patriarcharum, ac veterum justorum plene purgatis beatificam Dei visionem statim a morte concedant. Habent et ii gravia momenta, quibus sententiam suffulciant suam; atque auctoritate Augustini, Chrysostomi, Hilarii rem se confecisse judicant.

Scholion. Joannes Cadonici canonicus Cremonensis postremam hanc sententiam propugnavit in libro cui titulus: *Vindiciae Augustinianae ab imputatione Regni Millenarii*, aliisque in operibus apologeticis: hanc in Ephemeridibus litterariis non sine encomio recensuit doctissimus Lami, calculumque adjecit suum Italiae lumen Muratorius; pugnavit etiam pro ea e Scholarum piarum ordine Cl. P. Feltri: Cadonici tamen doctrinam non pauci oppugnandam susceperunt; ac praesertim Cl. Mamachius

e Praedic. Ordine in libro *de animabus justorum in sinu Abrahae ante Christi mortem expertibus Beatae Visionis Dei.*

§. CCCVIII.

De infantibus sine baptismo mortuis.

Pelagianorum error fuit, parvulos sacro fonte non regenitos, quum originali noxa eos obstrictos negarent, aeterna donandos esse vita, quam tamen a Regno coelorum secernebant. Quam pravam doctrinam etsi Catholicorum quilibet refugit, nihilominus reperias facile multos, qui infantibus istis post universalis saltem judicii diem beatitudinem quamdam naturalem attribuant (*); quorum tamen pace dixerim, nec in sacris libris, nec in traditione ullum sententiae hujus reperiri vestigium; quin eam etiam cum invicto Pelagianorum debellatore Augustino directa fronte pugnare: *Baptizatis*, inquit (*De anima, et ejus orig.* c. IX.), *parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque coelorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam haeresis Pelagiana promisit.* Porro quum infantes isti ex Christi sententia (Ad Eph. II. 3.), visione Dei ac coelorum regno privandi sint; hinc dolore aliquo afficiendos esse rem exploratissimam habebat, atque adversus Pelagianos demonstrabat Augustinus (**). Quod si ad sacras litteras, Augustini, alio-

(*) Catharinus, Albertus Pighius, Sfondratus, aliique post diem universalis judicii naturalem beatitudinem non renatis infantibus attribuebant. Richardus, Lyranus, Lessius, Suarez ajebant jucundiorem, ac feliciorem ducturos vitam, quam cujuslibet mortalis sit in hoc seculo. Vid. Henricum a S. Ignatio *lib.* 3. *de pecc. orig. ejusque effect.* Ites est dignissima, ut animadvertatur, Cl. Theologos Estium, Petavium, Norisium, Habert, l' Herminier, Piette, Berti existimasse, a Pelagianis ipsis solam naturalem felicitatem hisce infantibus adscriptam fuisse. Quod ostenditur ipsa auctoritate Augustini scribentis de *Praedest. SS.* c. 13. Pelagianos quaerere *parvulis extra Regnum Dei nescio cujus suae felicitatis locum: maxime quando convincuntur, non eos habere vitam aeternam.*

(**) S. Doctor *in Enchir.* c. 122. haec habet: *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna dulcedine domus Dei. . . . tam grandis est poena, ut nulla ei possint tormenta, quae novimus*

rumque Patrum auctoritatem serio animum reflecto, inducor, ut credam, infantes non regenitos, sensus poena, licet in adultorum comparatione ea levissima sit, fore plectendos. Ii enim *filii irae* sunt, *vasa apta in interitum* (Ad Rom. IX. 22.); unde cur mitissima sensus poena puniri nequeant, plane non video. At graviora proferamus. Universalis Judicii formam describens Matthaeus ait (Matth. XXV. 32. seq.): *Congregabuntur ante eum omnes gentes* (neminem hic videas exceptum), *et separabit eos ad invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves quidem a dextris, haedos autem a sinistris. . . . tunc dicet his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Claritate pari id docuerat in *Apocalypsi* Joannes (XX. 12: 15.). *Et vidi mortuos magnos, et pusillos* (en enim infantes), *stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitae. . . : . et qui non inventus est in libro vitae, missus est in stagnum ignis.* Parvulos absque baptismate decedentes oves esse a dextris statuendas, vel esse in libro vitae conscriptos, prudens nemo affirmabit: erunt itaque collocandi in sinistris, ac in ignem aeternum mittendi. Vidit id perspicax Augustini ingenium (*De verbis Apost.* serm. XIV. c. 3. Confer lib. V. *contra Jul.* n. 44: lib. III. *oper. imperf.* n. 199.): *Nullus relictus est medius locus, in quo ponere queas infantes: qui non in dextra, procul dubio in sinistra: qui non in regno, procul dubio in ignem aeternum.* Ejusdem mentis sunt Byzacenae Synodi Episcopi (*Epist. synod.*), Fulgentius (*De fide ad Petrum*), S. Gelasius (*Epist. ad Episc. per Picaenum constitutos*), Hieronymus (*In fine* 3. *Dial. adv. Pelag.*), Avitus Episcopus Viennensis, Gregorius Magnus (Lib. IX. *mor.* c. 12.), Isidorus Hispalensis (Lib. I. *sent.*), Prudentius (Lib. *de Praedest.* c. XVI.), aliique. Quo fit, ut non im-

---

comparari. Concilium Florentinum *in decreto* docet: *Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Quae adversus hanc sententiam proponi solent, dissolverunt *Norisius*, *Berti*, *Gervasio*.

merito Eminentissimus Norisius (*In vind. August.* c. III. §. V.), ex manca historiae Pelagianae notitia, ac neglecto Patrum studio repetat, cur anno ducentesimo supra millesimum de horum infantum poenis obscurata a scholasticis doctrina fuerit.

§. CCCCIX.

Purgatorium admittendum.

Quae ex hac vita in justitiae statu decedunt animae, haud omnes mundae penitus sunt, ac purgatae, nec singulae, quas debebant justitiae Divinae temporales poenas luerunt. Cadit enim saepe in culpas leves ipse justus (§. CCCLXXIX.), quae cum offensae Dei sint licet minimae, nonnullam tamen poenam promerentur. Atque si Divinae justitiae ordinem in sacris libris apertum nobis attenta mente lustremus, dubium non est, consuevisse Deum remissa jam gravi culpa, poenas adhuc ad tempus repetere (§. CCCVII.), ad quas redimendas primitiva Ecclesia Apostolorum instructa magisterio, graves diuturnasque satisfactorias poenas imponere solebat (§. CCCVIII.). At enim ignorat nemo, e vita plures decedere, qui sive levibus adhuc culpis inquinati sunt, sive pro gravibus jam remissis commeritam temporalem poenam minime luerant. Itaque quum in coelorum regno nihil, quod coinquinatum ac immundum sit, ingredi queat (Apoc. XX. 27.), locus esse debet inter gehennam, ac Regnum coelorum medius, ubi puniri, ac purgari ad tempus debeant illorum animae, quae ad coelestem Patriam aptae necdum, ad idoneae reperiuntur. Locum hunc nuncupamus *Purgatorium.*

Scholion. Ecclesia tamen nihil definivit de Purgatorii loco, an in caliginoso aere sit, vel sub terra, aut ubi cruciantur damnati, neque ad fidem catholicam attinet, in purgatorio verum ignem esse, an tantum caliginem, ac moerorem, vel alium, quem Deus infligere potest, cruciatum; tempus etiam, quo in poenis detineantur, incertum est, novitque solus Deus. Unde lis, quae nos inter, et heterodoxos fervet, est, an detur defunctorum status, in quo animae nondum penitus mundatae purgentur; ac pro iis tum sublevandis, tum liberandis

fidelium preces prosint: istud Catholici asserunt; negant adversarii. Primus qui Purgatorii existentiam inficias iverit, Aerius fuisse videtur, qui pro defunctis sacrificium offerendum non esse blaterabat, uti docent Epiphanius *haer.* 75. et Augustinus *haer.* 53. Hujus vestigia calcarunt Petrobusiani, Apostolici, Albigenses. Apertius Purgatorio bellum indixerunt Waldenses, tum Calvinistae, ac Lutherani.

§. CCCCX.

Quod docent sacra litterae.

At vero Purgatorium esse, fides catholica docet, veterisque, ac novi foederis oracula ostendunt. Illustre est, ac in rem nostram longe opportunum factum Judae Machabaei (II. Mach. XII. 43.), qui *collatione facta duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans*; nempe de animae immortalitate, cujus fides, cum doctrina de corporum resurrectione penitus connexa est. Quod Divino Spiritu afflatus scriptor magnis encomiis ornat inquiens: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Porro pro iis, qui aeternae damnationis sententiam audivere, preces juvare minime possunt: sed neque ii, qui coelesti jam beatitudine fruuntur Ecclesiae orationibus egent, eo saltem sensu, quod a peccatis, sive a poenis solvantur: proindeque dicere debemus pro iis fusas preces, qui decesserunt quidem in gratia, sed nondum penitus purgati debitum aliquod Divinae justitiae rependere adhuc tenebantur (*). Quid? Quod Salvator ipse nos docet peccata adesse, quae non remittuntur. *neque in hoc saeculo, neque in futuro* (Matth. XII. 33.). Quorsum autem haec, si nulla peccata essent, quae in altera vita condonarentur?

(*) Inde etiam apparet Judam Machabaeum ex sacerdotali genere nonnisi id jussisse, quod antiqua majorum traditione fieri consuetum erat. Quam praxim vigere adhuc apud Judaeos evincitur ex Bibliotecha Rabbinica Bartoloccii tom. 2. et ex synagoga Buxtorfii. Immo apud ipsos in more positum est, ut infans per annum integrum orationem, quam nuncupant *Kadis* pro anima patris sui defuncti ad eam a Purgatorio eripiendam recitet.

Quam sapienter Augustinus (Lib. XXI. *de civ. Dei* cap. 24. Vid. Gregorium Magnum lib. IV. *Dial.* c. 39.): *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.*

§. CCCCXI.

Et traditio. Ea inter, quae Ecclesiarum omnium traditione constibilita sunt, defunctorum ad Sanctum Altare memoria annumerari certe debet, cujus pervetusti Ecclesiae Patres meminerunt (*), ac antiquissima omnium gentium officia, Gottica scilicet, Mozarabica, Gallicana, Ambrosiana, Graeca non minus, ac Orientalia. Preces vero ubique ad Deum diriguntur, ut fidelium defunctorum animas *quiescere jubeat in sinu Abrahae, Israel, et Jacob: inter Patriarchas, Prophetas et Martyres, inter Choros Sanctorum suorum in Paradiso voluptatis et deliciarum, unde fugit dolor, et gemitus.* Hinc evincitur, Ecclesias omnes semper credidisse fidelium defunctorum animas purgatione indigere; necnon precibus ac sacrosancto praesertim Missae sacrificio divinam justitiam flecti, ut eorumdem poenas levet, ac ad coelestem beatitudinem advocet. Unde apparet preces pro defunctis cum purgatorii doctrina tam arte connexas esse, ut unum sine altero persistere nequeat. At vero de purgatorio ipso sermonem instituunt Origenes (Hom. XII. in Hier. hom. XXVIII. in Num.), Gregorius Nyssenus (*Orat. pro mortuis*), Hieronymus (Lib. I. *contra Pelag.*),

(*) Tertullianus *de corona* cap. 3. inquit: *Oblationes pro defunctis. . . . annua die facimus:* cap. 4. addit: *Harum et hujusmodi aliarum disciplinarum, si legem expostules, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* In eamdem conspirant sententiam Cyprianus epist. 66. Cyrillus Hierosol. *Catech. myst. V.* Epiphanius qui confutavit errores Aerii, Chrysostomus, hom. 41. in epist. I. ad Corinth. et hom. 21. *in Acta*, Ambrosius orat. *de obitu Satyri fratris sui*, Augustinus lib. 9. conf. cap. 12. Concilium III. Carthaginense can. 29. et IV. can. 79. Gregorius Magnus lib. 2. dial. c. 13. Plura dabunt Patrum testimonia Bellarminus *de Purgatorio*, Natalis Alexander saec IV. diss. 45.

Basilius (In cap. IX. Isai.), Gregorius Nazianzenus (Orat. XL.), Theodoretus (In I. ad Corinth. III.), Gregorius Magnus (Lib IV. Dial. c. 39.). Quorum agmen claudat Magnus Augustinus de baptizato infante scribens (Lib. XXI. *de Civ. Dei* c. 16.): *Non tantum poenis non praeparatur aeternis, sed nec ulla post mortem purgatoria tormenta patietur*; de adultis vero decedentibus cum levibus culpis ait (Ib. cap. 24.): *Tales constat ante judicii diem per poenas temporales, quos eorumdem Spiritus patiutur, purgatos aeterni ignis suppliciis non tradendos.*

Scholion. Quamvis Graeci Schismatici medium locum non agnoscant, atque contendant perperam, animas eorum, qui in gravi delicto obierunt, vel etiam in infidelitate, ab inferis liberari posse, quod statuebat etiam Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus fabellis innixus Falconillae et Trajani, nihilominus admittunt animas, quae in justitia decesserunt, nec poenitus sunt purgatae, satisfacere Divinae justitiae, ac cruciari *in quantum poena dignae sunt, et in quantum Dei misericordia voluerit*, ut scribit Gabriel Piladelphiensis apud Allatium *de consens.* Varia etiam agnoscunt expurgationis genera pro iis, qui coeptae justitiae dignos fructus vel incuria vel morte praeventi non fecerint: hos ad infernum detrudi ajunt, atque ibi non ignis suppliciis torqueri, sed obscuro carcere detineri; conscientiae stimulis, exilio a Divina gloria, et obscuritate futuri purificari. Qua de re plura dabit Marcus Ephesius latinis infensissimus *in orationibus duabus*, quas Ferrariae in Synodo habuit. Arbitrantur insuper ipsi nobiscum, sacrificia, orationes, vigilias, eleemosynas, atque similia pietatis officia defunctis multum juvare, vel eos a poenis omnino liberare. Immo ut Syropulus testatur *Sect. V.* auditis a Cardinale Juliano quae de Purgatorio igne Latini tenent, ipse M. Ephesius exiguum nos inter ac ipsos discrimen esse dixit. Vid. le Quien *dissert. Damasc. V. orat. de iis, qui in fide dormierunt, et de Purgatorio secundum orient. Ecclesiae sensum*, Renaudotium *observ. in litt. Syri, et Perp. fidei tom. V. lib. VIII.* cap. 5. ubi observat ad illud

tempus, quo Latini Constantinopoli dominabantur, initium habuisse, quae de Purgatorio inter utram, que Ecclesiam vigent controversiae, nec Grecos umquam hac de re exposiulasse, etsi Latinorum doctrinam ex Gregorii Magni dialogis lib. (V. c. 39.), quos in propriam linguam conversos magno habebant in pretio, compertam optime haberent.

§. CCCCXII.

Encyclopaediae argumenta. Quam Catholici Theologi tuentur de Purgatorio doctrinam, ea Philosophis Platonicis originem suam debet, ejusque in gentilium libris nonnulla vestigia reperiuntur. Ab anno tantum 1439. in fidei evasit articulum Concilii Florentini tempore. Cujus decretum, ut ajunt Patres Tridentini, in usu fundendi pro defunctis preces fundamentum suum habet, quod tamen in Scriptura non jubetur, ac ratio et revelatio simul condemnant. Accedit his, nec nomen, nec rem Purgatorii in sacris libris adinveniri; nam secundus Machabaeorum liber, ubi de precibus pro defunctis sermo occurrit, apocryphus est. Immo Romana Ecclesia nonnullis Scripturae textibus (Matt. V. 26. I. ad Corinth. III. 12. seq.), ut systema suum verbo Divino coloret, vim facere debet. Quid? quod facile esset, plura Scripturarum argumenta producere, quae necessaria illatione Purgatorium destruunt. Saepe enim legimus: *Nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu; quod beati sunt, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Exemplum Lazari, qui post mortem in Abrahae sinu delatus est; Latronis, cui Christus dixit, *hodie mecum eris in Paradiso*: tertium hunc locum penitus explodit. Ad haec: quaenam doctrina est illa, quae animae corporis attribuit proprietates, contenditque èam per ignem purificari, sicuti ab heterogeneis particulis purificantur metalla? verum quidem est, coinquinatum nihil intrare posse in regnum coelorum; at justi omnes jam mundi sunt ac purgati sanguine Christi. Nec antiquiores Patres quidpiam de Purgatorio crediderunt. Anima absque sensibili materia, id est, absque corpore juxta Tertullianum pati nequit. Augustinus, qui nobis opponitur, de amico suo Nebridio recenter defuncto

scripsit, quod vivit felix in sinu Abrahae. Gregorius I. persuasus est, quod nobis Salvatoris gratia redemptis post mortem locus aeternae felicitatis apertus est.

§. CCCCXIII.

Purgationis post vitam futurae notionem aliquam habuisse Platonem (*In Phaedone*), Virgilium, nonnullosque alios Scriptores Ethnicos non eo inficias; at hac in sententia versati semper Judaei fuerunt (§. CCCCX. in Not.); unde persuadeor, profanos Philosophos, ac Poetas, vel ex naturali lumine, vel potius ex priscis, ipsique mundo ferme coaevis traditionibus hujus dogmatis notitiam habuisse; tantum abest, ut Catholici eam a Platonicis hauserint. Concilii Florentini tempore in fidei dogma Purgatorium primo erectum fuisse, res oppido falsa est. Epiphanius enim, et Augustinus reliquos inter errores Aerii recensent, non esse pro defunctis orandum: credebat itaque Ecclesia animarum esse haud penitus purgatarum statum, quae fidelium precibus, ac incruento vel maxime sacrificio egerent ac levarentur. Hae autem sunt, quas in purgatorio torqueri diximus (§. CCCCIX. CCCCX.). Patres Tridentini cum Catholica Ecclesia, et sacris litteris, ac antiqua Patrum traditione Purgatorii existentiam probari asserunt; consuetudo autem pro defunctis exorandi cum Purgatorio ita connexa est, ut unum ex altero fluat (§. CCCCXI.): hujus vero cum initium assignare nequeas, ac Tertullianus eam jam ex traditione repeteret (§. CCCCXI. in Not.) evidens est, hanc descendisse ab Apostolis, hos vero ab ipso Salvatore accepisse. Quamobrem etsi gratis daremus, hac de re nihil in sacris libris legi, firmissimum semper esset, ac Verbo Divino tradito innixum Ecclesiae Catholicae argumentum. Machabaeorum libros, omnibus rite librariis, canonicos esse definivit Ecclesia Catholica. Heterodoxi tamen eam saltem hisce libris fidem exhibere debent, qualem Philoni, ac Josepho Historico tribuunt. Jam vero inde patet luculentissime, Sacerdotes, ac Judaicum populum preces ac sacrificia pro defunctis obtulisse, atque usum hunc uti Sanctum habuisse, ac saluberrimum. Neque verbo Divino Ecclesia Romana vim inferre cogitur, ut Refutantur.

Purgatorii fidem sacris litteris consonam esse demonstret; nam veritatem hanc Machabaeorum libri, ac quae Christus Dominus de peccatis, quae in altera vita dimittuntur, asserit, in toto suo lumine ponunt (§. CCCCX.); quae autem ex Matthaei V. et Paulo I. ad Corint. III. nonnulli Theologi pro Purgatorii existentia proferunt, argumento ineluctabili Purgatorii existentiam non probare, praeclarissimi Catholici Doctores ipsimet asserunt (Nat. Alexander *saec. IV. dissert. 45.* et non pauci alii id asserunt.). Hallucinatus turpiter fuit adversarius ajens, multa esse sacrorum librorum testimonia, quae Purgatorii fidem elevent. Nam Apostolus scribens (*Ad Rom.* VIII. 1.) nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu, de iis, qui per baptismum peccata omnia, iisque debitam poenam deleverunt, sermonem habet; qui si postea non secundum carnem ambulent, ac ea tantum, quae Spiritus sunt, sapiant, profecto justi erunt, ac plene purgati; iis vero aeterna gloria a morte rependitur (§. CCCCV.). Locus alter ex Apocalypsi (XIV. 13.) depromptus eadem ratione explanandus est. Quandoquidem legimus: *hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu: et audivi vocem de coelo dicentem mihi: Beati, qui in Domino moriuntur.* (*) Lazari et Latronis exemplum adversarium non juvat: primus enim perfecte justus, ac plene patienti calamitatum tolerantia purgatus in Abrahae sinum delatus est: alter ferventi in Deum caritate, ac praeclara fidei confessione eo ipso tempore, quo Salvator contumeliis, ac morte ipsa afficiebatur, culpae ac poenae omnis remissionem promeritus est. Quod urget

(*) Beza Calvinianus Scriptor legit: *Beati mortui qui propter Dominum moriuntur*, nempe de Martyribus explicat, quibus a morte coelestis gloria rependitur. Ex Protestantibus non pauci, immo et nonnulli ex Calvinianis, quos recenset le Fevre *addition.* §. 3. licitum judicant orare pro mortuis, quibus addo Rhegium, ac Sylvestrum Crabium *in appendice Apologetica* ad Rhegii libellum: *de formulis caute loquendi;* immo inter Lutheranos nonnemo est, qui medium quemdam statum, ac Purgatorium post hanc vitam admittat, licet tamen in satisfactionem Divinae justitiae, ut nos contendimus, id contigere negent, ut scribit Buddaeus lib. 2. c. 3. §. 20. Sch.

alterum, Catholicum dogma non impetit; nullibi enim definitum est ignem nostro similem in purgatorio adesse. Haec est tamen generalis Theologorum doctrina, quam non impetit inepta metalli ab heterogeneis partibus in ignem purgati comparatio. Etenim ignis ille non ad corporis, quo carent tunc animae, maculas eluendas, sed tantum est ad poenam, quam remissa culpa solet adhuc exposcere Deus (§. CCCCVII.), proindeque illi, qui a labe ac inquinamento peccati nondum penitus mundi sunt, gravium ex igne perpessione poenarum, debitum, quod cum Divina justitia contraxerant, solvere debent, quo peracto ad Patriam coelestem felices evolabunt. Pretioso Christi Sanguine nos purificari; fides Catholica eo sensu docet, quod ejus virtute peccata omnia, ac poenae iis debitae in baptismo remittantur; tum quia media singula, unde animam nostram mundare possimus, ex solius passionis Christi merito obtinemus. At quisquis post adepta tam insignia beneficia lapsus est, ac contristare Spiritum Sanctum non erubuit, ad manifestandam magis peccati gravitatem, ordo Divinae justitiae postulat, poenas adhuc ad tempus ab iis repetere, quibus aeterna remissa fuit; quae si hac in vita dignis poenitentiae fructibus persolutae non fuerint, in altera luere quisque debebit. Verum terret jam nos Adversarius, cum Patrum praesidio nos exuere, confidenter asserit. Audiamus: Tertullianus ait, animam absque corpore dolori obnoxiam non esse. Fatearis, repono, itaque oportet, Tertullianum judicasse animas altera in vita pati, quas corpore nonnullo donatas affirmabat. (*) Augustinus Purgatorii dogma verbis clarissimis propugnavit (§. CCCCXI.); Nebridium vero amicum suum ab omni labe purgatum judicabat, unde et

---

(*) Tertullianus ait animam dimensionibus constare, habere effigiem, ac totam animarum redundantiam aliud non esse quam ex unius hominis ex animali semine distillationem, item ex traduce eas propagari contendit. Vid. *Apolog.* c. 48. *de anim.* c. 5. et seq. *de Resur. carnis* c. 17. lib. 5. contra *Marc.* c. 10. Unde merito Augustinus scribebat *ad Quodvultdeum : Tertullianus, sicut ejus scripta indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiatum corpus esse contendit.*

coelesti gloria jam frui arbitrabatur. Eadem plane est Gregorii mens, cujus si dialogorum libros Encyclopaediae scriptor perlegisset, pro sua sententia eum proferre nunquam ausus fuisset. Quamobrem non Sacerdotum avaritiae, sed scripturis et traditioni Purgatorii dogma debetur.

CAPUT II.

De Mutationibus Praecedentibus Universalibus.

§. CCCCXIV.

Certius nihil, si sacrarum litterarum oracula consulas, quam aspectabilem hunc mundum habiturum fore aliquando finem. Rei hujus admonebat Salvator (Matth. XIV. 35.) ut nos vigiles redderet, mentem nostram a fluxis, caducisque hujus vitae bonis avocaret, atque ad coelestium desiderium erigeret. *Caelum*, ajebat, *et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Unde dilectus quoque discipulus se vidisse coelum novum ac terram novam asserebat: *primum enim coelum, et prima terra abiit* (Apoc. XXI. 1.). Ex ipsis scriptoribus Ethnicis non pauci hujus erant veritatis persuasi, quamvis nec defuerunt, qui mundum aeternum fore judicarunt. At si de tempore quo contigere haec debent, sermo sit, adinvenies quidem nonnullos, qui arcana Dei penetrare sibi visi sunt, atque ex astrorum dispositione, aut ex vaticiniis, sive ex inanibus conjecturis annum et diem definire, at irrito conatu, tentarunt. Quandoquidem expressa est Christi Domini sententia: *De illa die et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* (Matth. XXIV. 36.): qui et discipulis suis sollicite hac re interrogantibus respondebat (Act I. 7. Vid. Augustinum Epist. 199. *ad Hesichium de fine saeculi*): *Non est vestrum noscere tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.*

Scholion. Democritus et Anaximander mundum factum esse ajebant, et certo tempore interiturum γενόμενον καὶ φθαρτόν: de his consulendus Laertius lib. IX. segm. 44. Lucretius vero:

Una dies dabit exitium, multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.

Ovidius metam. Lib. I.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia caeli,
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Stoici exustionem mundi admittebant, sed eundem infinitis vicibus instauratum, et renovatum placebat. His adstipulatus est Origenes lib. 3. c. V. de principiis.

Inter Stoicos ipsos Boethus, Possidonius, Panaetius mundum incorruptibilem esse affirmabant, teste Philone *lib. de mundo incorruptibili.* Aristoteles ac Peripateticorum plerique nec originem nec finem mundo tribuebant. Vid. Gassendum *phys. Sect.* I. *lib.* I. c. VI.; nihilominus Aristoteles lib. I. *Metereol.* huic vel alteri mundi parti exitium manere non denegabat, totum tamen integrum manere opinabatur. Plinius Secundus *lib.* II. c. I. Mundum haud interiturum diserte affirmabat, quae fuit etiam mens Procli, Porphyrii, aliorumque. Hinc Manilius *in Astronom.* lib. I. inter diversas Philosophorum de mundo opiniones, hanc ordine primam recensebat:

Quem sive ex nullis repetentem semina rebus,
Natali quoque egere placet, semperque fuisse,
Et fore principio pariter, fatoque carentem.

Ex hodiernis incredulis non pauci hanc doctrinam amant. Confer Cudworthi syst. Intel. cap. III. §. 33. cum notis.

Nonnulli Astronomi ac Philosophi opinantur mundum habiturum finem magno anno vertente, quo nempe sol, luna, ac sydera ad eundem coeli locum, unde discesserunt, redeunt. Quem annorum circulum alii magis, alii minus extendunt, qua de re agit Censorinus *de die Natali.* Judaeorum autem opinio fuit mundum sex mille annorum spatio circumscribendum, quam opinionem Filiae cuidam Rabbino, quem perperam Thesbitem vocant, debent. Alii Judaeorum doctores, quos Cabalistas vocant, has addunt conjecturas, Deum sex diebus mundum creasse, ac quum coram Deo mille anni sint veluti una dies, ita mundum sex annorum millibus perduraturum, tum quia prima littera Alphabeti Hebraici

Aleph; quae mille significat, occurrit sexies in primo Geneseos versu. At nugae sunt istae. Haec sententia de duratione mundi per sex mille annos nonnullis etiam Ecclesiae Patribus arrisit. Vid. Calmet dissert. *de fine et mundi statu post judicium art. 3.*

§. CCCCXV.

De signis illum praecedentibus.

Verumtamen antequam mundo interitus veniat, quaedam praecedent signa, quae facem ferentibus sacris litteris, designanda paucis assumimus. Evangelium primo per universum terrarnm orbem annuntiari debet. *Praedicabitur*, inquit Christus Dominus (Matth. XXIV. 14.), *Evangelium Regni in universa orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Quae num ita sint accipienda, ut communis fert sententia, gentes omnes Christo nomen daturas, ita ut unum ovile fiat, et unus pastor; aut ita intelligi debeant, ut alii opinantur, nullum futurum fore populum, ad quem Evangelii lumen non perveniat, penitus non est exploratum. Arbitror non minus ante mundi exitum, Divinam gratiam de obcaecatione Judaeorum fore triumphaturam; quod innuit Paulus ad Romanos scribens (*Ad Rom. II. 25.*): *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Edocet adhuc nos Apostolus finem mundi non futurum (II. 3. seq.) *nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus . . . . . . et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum*: quae vividis coloribus Antichristum pingunt, eumque hominem quemdam singularem esse demonstrant, declaratque etiam articulus in graeco praepositus his vocibus: *homo peccati, filius perditionis.* Recensitis signis adnumerandus est Enoch, et Eliae adventus, quos in vita singulari Dei providentia conservari, ut adversus Antichristi impietatem pugnent, proprioque sanguine Christianae Religionis veritatem signent, est Patrum Graecorum et Latinorum sen-

tentia; evincuntque quantum ad Eliam haec Malachiae verba (IV. 5.): *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad Patres.* Signum postremum Salvator ipse describit (Matth. XXIV. 20. Vid. Lucae XXI. 25.): *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur.* Haec tamen, quae de hisce signis proposuimus, ob varias Patrum interpretationes tantam haud habent perspicuitatem, ut omnem plaue obscuritatem nobis eripiant.

Scholion. De Antichristi origine, patria, moribus aetate, fortuna, multa a pluribus scripta invenies, et subtiliter excogitata; at si ab iis recedas, quae in sacris paginis leguntur, eorum, qui scripsere, auctoritati innixa sunt. Vid. quae docte scripsit Bossuet *Abregè de l' Apocalypse*, *avertiss. aux Prot. sur leur pretendu accomplissement des propheties*, Estium *lib. V. dist.* 41. §. VI. seq. Calmet *diss. de Antichristo*, Bellarminum, ac Gotti.

Eliam ante mundi exitum fore venturum diserte tradunt Augustinus *lib.* XX. *de civ. Dei.* c. 29. Victor super *Apoc.* XI. Lactantius lib. VII. c. 17. Hilarius *Can.* XX. in *Matth.* XVII. Ambrosius *lib.* I. *de virgin.* Hieronymus in Matth. XVII. Auctor *de promissionibus*, Primasius in Apoc. XI. Gregorius Magnus *lib.* IX. *Mor.* c. 4. Ex Graecis Hyppolitus *lib. de Antich. et extr. Judicio*, Origenes in c. XVII. *Matth.* Gregorius Nyssenus *lib. contra Judaeos*, Chrysostomus *hom.* IV. in II. *ad Thessal.* Theodoretus *super Malac. ultimo*, Caesarius *dial.* 3. Teophylactus, Euthymius, Araetas, alii. De adventu Enoch tam explorata traditio non est, meminerunt tamen Hyppolitus, Augustinus, Gregorius Magnus, Damascenus, ac nonnulli alii. Fuerunt, qui his duobus adjungerent S. Joannem Evangelistam: innitebantur autem maxime, quod Christus dixisset juxta Graecum fontem de Joanne: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Unde judicabant eum in vivis usque ad finem mundi fore

conservandum : cui tamen opinioni celebriores Theologi semper refragati sunt : et merito ; nam ipsum Ephesi mortuum fuisse Polycarpus ejus discipulus, et Polycrates ambo Ephesiorum Episcopi memoriae prodiderunt. Confer Tillemontium in *not. ad S. Jo. Evang.* Calmet. *dissert. de obitu S. Joannis.*

Quae de obtenebratione solis, ac lunae in sacris litteris dicta sunt, modo non uno solent explanari. Chrysostomus, et qui ejus sequuntur vestigia, ac Hieronymus nihil luminis iis fore detrahendum judicant : atque ideo haec dicta fuisse opinantur, quod a splendore advenientis Christi, solis, lunaeque lumen adeo superabitur, ut obtenebrati prorsus videantur. Interpretes perpauci haec censent dicta esse figurate, quoniam tanta hominum conturbatio erit, ac si haec omnia praenuntiata advenirent: qua de re videas Driedonem *lib. III. de scrip. eccl. et dogm. tract.* 3. Melius sentire videntur ii, qui ad tempus modicum, quemadmodum in passione Domini contigit, solem, lunam, ac sidera suo lumine privanda arbitrantur. Quod praenuntiatum fuit, stellas e coelo casuras, figurate dictum videtur, aut de cadentibus igneis vaporibus, stellarum ad instar, debet intelligi. Unde Augustinus *lib.* XX. *de Civ. Dei c.* 24. *Cum vel tropica sit locutio, quod est credibilius : vel in isto imo caelo futurum sit, utique mirabilius, quam nunc fit ; unde et illa Virgiliana stella facem ducens, multa cum luce cucurrit, et Idaea se condidit sylva.*

§. CCCCXVI.

De universali corporum resurrectione.

Resurrectio a Graecis ἀνάστασις nuncupata, in eo reponitur, quod humanum cujuslibet corpus jam vita functum, vel in cineres resolutum, Dei jussu animae, quae superstes fuit, uniatur, ut idem homo supremo judici sistatur ad aeternam vocandus vitam, aut ad commerita supplicia damnandus. Modum, quo cujuslibet hominis corpus a diuturno corruptum tempore, vel in minutissimas partes redactum restituendum sit, ratione sola duce percipere minime possumus, quemadmodum in ipsis naturalibus rebus occurrunt multa, cujus rationem, ac causas penetrare haud valemus; quae tamen, si quis, eo quod non

percipit, negare vellet, ridendum certe se omnibus praeberet. Jam propius ad rem: si fieri minime posset, ut corpora jam resoluta restituantur, ac reviviscant, id repetendum inde esset, aut quia Deus nollet, aut non posset. Non primum: Enimverò quisquis perpendat corpora animorum instrumenta esse, ac una sive ad bonum, sive ad malum influere, immo in ipsa vitiorum, ac virtutum exercitatione saepe contingere, ut majores fuerint corporis pravae oblectationes, ac voluptates, vel graviora in corpore, quam animo ad servandam inviolatam Divinam legem incommoda ac poenae; judicare etiam debebit, Divinae justitiae consentaneum esse, ut corpora revocentur ad vitam, ut mercedem accipiant, vel debitas poenas. Nón alterum: nam dementissimae temeritatis sit, oportet, qui Divinam virtutem, ac potentiam ex propria dimetiendo, Deum corpora jam soluta restituere, ac restaurare haud posse audet asserere: magisque mihi delirus videtur illo, qui diceret, eo quod decem librarum pondus formica ferre non valet, ita nec posse elephantem. At quotquot de Divina hac in re potentia dubitant, attollant ad coelum oculos, universum aspectabilem hunc mundum lustrent, videantque, an ei, qui horum omnium sapientissimus artifex est, humana corpora e pulveribus restaurare difficile sit?

Scholion. Quum Paulus Athenis mortuorum resurrectionem annuntiaret, ridebant eum. Act. XVII. 18. seq. Epicurei, ac Stoici rem putabant haud possibilem, rejiciebant etiam Pythagorici, ac Platonici. Celsus apud Origenem lib. V. doctrinam insectis dignam vocabat, ac rem abominandam. Nihilominus temporis progressu iidem Platonici, ac Pythagorici asserebant, animam a sordibus hac in vita contractis mundatum assumere, subtile, splendidum, ac Divinum corpus. Vid. Witby in I. ad Corinth. XV. vers. 44. Sunt tamen, qui autumant, apud veteres Persas vestigium aliquod resurrectionis corporum apparere; uti videre est apud Laertium de *vitis Philosophorum in prooemio.* Hinc eruditissimus Le Lande novae demonst. Evang. tom. IV.

fieri posse judicat, dogma de corporum resurrectione, quod cum animae immortalitate connexum est, ex pristinis traditionibus ad primam mundi aetatem revocandis descendere; atque ex ejusdem depravatione factum fuisse, ut apud plerasque vetustas nationes, nostrisque adhuc temporibus apud non paucos Asiae, ac Americae populos consuetudo viguerit, quod viro moriente uxor etiam ejus occideretur, ac vita functo Rege foeminae ipsius, ministri, ac mancipia mactarentur, ut ei alia in vita possent inservire. Id ipsum observarunt Auctor *des recherches Philosophiques sur les Americains* tom. 2. p. 219. ac Montesquieu *l'esprit des Loix* lib. XXIV. ch. XIX. qui postremus sapienter asserit, Christianam Religionem, hanc veritatem in sua puritate proponendo, omnibus hisce abusibus obviasse. E Judaeis mortuorum resurrectionem denegarunt Sadducaei, ex primis Christianis Himenaeus, et Philetus, quos sequuti sunt alii haeretici, uti Simoniani, Carpocratitae, Valentiniani, Marcionitae, Cajani, Basilides, et Apelles. E recentioribus inficias iverunt Quackeri, et Fanatici, quam notam, etsi Robertus Barclajus a suis amovere studeat *in Concl. Apologiae vere Christianae*; hujus tamen doctrinae fuisse, patet ex Georgio Keitho, qui hanc ob causam a Quackeris recessit, ut tradit Cruësius *in hist. Quackerorum*; nec aliter res esse poterat, quia ipsi omnia, quae in sacris litteris occurrunt, mystice et spiritualiter explicanda esse volunt: Cudworthus etiam a non paucis violati hujus dogmatis accusatur.

§. CCCCXVII.

Ostenditur futura ex SS. litteris.

Veritas resurrectionis tot Scripturarum oraculis constabilita est, ut ea nihil certius haberi queat (Dan. XII. 3.): *Et multi* (sacrarum litterarum consuetudine non raro pro *omnibus* accipitur) *de his, qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.* Christus Dominus Sadducaeorum coarguens inscitiam ajebat (Matth. XXII. 31.): *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isac, et Deus Jacob: non est*

Deus mortuorum, sed viventium. Clarissime id ipsum docet apud Joannem (V. 28.): *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Paulus vero hanc rem tanti faciebat, ut si ea concideret, fundamentum labasceret, cui fidei nostrae aedificium innititur. Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra (I. ad Cor. XV. 16.). Unde Christiani fidem resurrectionis semper in symbolo professi sunt, profitenturque.

Scholion. Celeber est etiam pro corporum resurrectione locus Jobi XIX. 25: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Qui tamen locus Vossio, Clerico, Colomesio demonstrativus non videtur: eo quod juxta hebraeum fontem legi debeat = ego novi Redemptorem meum vivum, et novissime super pulverem staturum, et postquam pellem meam contriverint hanc, et de carne mea videbo Deum = quae de imminenti carnis suae tunc corrosae restitutione intelligenda esse contendunt. At hos hallucinari inde patet, quod LXX. interpretes in lingua hebraea versatissimi hunc locum de ipsa resurrectione intelligunt, atque Hieronymus ad Pammachium apertissimum hujus dogmatis testimonium esse affirmabat. Jobus ipse ajens: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei, quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo*, de re maximi momenti sermonem habere fit palam; at si de salutis suae restitutione fuisset loquutus, quod commune saepe est, designasset: cumque asserat se visurum fore Deum oculis suis, haec de Christo Deo simul et homine vaticinatus fuit, quem post resurrectionem suam se conspicaturum firmiter tenebat. Vid. Duguet *de l' explication du texte de Job.* Ex Acatholicis Buddaeus lib. 2. cap. 3. c. XXI. Turretinus *loc. XX. de Novissimis* q. 1. Schmidius, Fridericus Spanhemius, et Critici sacri.

§. CCCCXVIII.

Objectio solvitur. Hominem quemlibet in proprio corpore ad vitam revocandum, inanis fabella est, res absurda, ac cum sana ratione pugnans. Et quonam modo fieri posset; propria corpora singulis hominibus fore restituenda, si partes cujuslibet humani corporis, per totam, qua late patet, naturam confusae, ac dissipatae sunt? immo eaedem fortassis centenorum, vel millenorum corporum, plantarum scilicet, animalium, hominum partes effectae sunt. Ignotum est nemini, fuisse, qui humanis corporibus vescerentur; ac simile exemplum Cannibales in America adhuc nobis suppeditant. Porro, quum humanum corpus in ejus, qui devoravit substantiam, transierit, quis in resurrectione illud recipiet, devoratus, an qui devoravit? Argumentum hoc magno verborum apparatu gestientes, ac ovantes increduli proponunt (*). Verumtamen Divinae omnipotentiae tanta virtus est, ac efficacia, ut partes quaslibet disjectas, ac dissipatas e quibuslibet locis revocare facile queat. *Absit*, ajebat Augustinus (**), *ut sinus ullus, secretumque naturae ita recipiat aliquod subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.* Mortalium autem nemini omnes illae, quas prius habuit, substantiae partes restituendae sunt, quae a primo vitae instanti ad mortem usque habuit, homines enim resurgent, non monstra. Quamobrem si ad calculos revoces substantiam tum eorum, qui ab Antropophagis devorati sunt, tum Antropophagorum ipsorum, satis erit, ut omnium restitutioni sufficiat. Nec id in dubium vertere potest, qui perpendat, rem esse a Sanctorio experimentis confirmatam, quinque partes de quotidiano cibo a nobis abscedere sola sensibili transpiratione; atque si recte omnia computentur, quin-

(*) Proposuit hoc argumentum prae caeteris Simon Tissot de Patot, sub ementito nomine Jacques Massé in libro *Voyagés et aventures.*

(**) *Lib. XXII de civ. Dei cap.* 20. Conferas Athenagoram de mortuorum resurrectione, Justinum *Apol.* I. Tatianum *orat.* I. *contra Graecos*, Minutium Felicem in Octavio.

quagesimam tantum nutrimenti partem in corpore manere, ac in nostram substantiam transire. En itaque in iis ipsis, qui ab Antropophagis devorati sunt, maximam adhuc eorum substantiae partem manere, unde in resurrectione ipsorum corpora restaurari queant.

Scholion. Sententia est non paucorum, quod licet caro in pulverem redacta sit, flammis exusta, vel etiam ab hominibus, vel feris devorata, remanere tamen quasdam particulas, tamquam semina, quae destrui minime possint. Unde divina virtute corpus innovari, ac restaurari possit. Hinc Paulinus de obitu Celsi canebat:

Nam licet in tenuem redigantur et ossa favillam,
Corporis integri semina pulvis habet.
Sed licet e membris in humum transmissa ferinis,
Membra hominum vivo semine salva manent.

Nec multum abludit ab hac sententia Clarke de *l'existence, et des attributs de Dieu tom.* 3. Grotius lib. II. *de ver. Rel. Christ.* §. XI. asserit posse Deum humanis corporibus singulari quadam cura ita prospicere, ut quod inde ad aliorum hominum escam pervenit, non magis in substantiam eorum vertatur, quam solent venena, et medicamenta. Bonnetus quandam machinulam ex tenuissima materia (ignem vitae vocat) compactam admittit, quae in corpore calloso (nota quaedam cerebri pars) veluti in capsula includatur, quae cum perire nequeat, evolvendam judicat in die resurrectionis, ac corpus humanum ex ea restituendum: at his hypothesibus ad corporum resurrectionem viudicandam non indigemus. Vid. Calmet *de universali corporum resurrectione*, Estium lib. 4. dist. 44. ex Acatholicis Less. *Mahrheit bet Christ. Religion.* §. 40.

§. CCCCXIX.

Peracta in rerum omnium exitu mortuorum resurrectione, commota, ac perturbata universa natura apparebit Christus Dominus gloria, ac majestate conspicuus, ac Angelorum corona circumdatus. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli eum eo, tunc sedebit super sedem ma-* Adveniet Christus Dominus ad universale Judicium.

jestatis suae (*Matth.* XXV. 3.). Veniet autem quemadmodum in symbolo profitemur, ut vivos judicet ac mortuos. Fidem hanc pluribus Scripturarum oraculis munitam habemus. Nam Christus ipse obcaecatis Judaeis ajebat, se omnium Judicem fuisse a Patre constitutum (*Joan.* V. 22. 27.). Paulus Athenis in Areopago annuntiabat, a Deo statutum diem, in quo judicaturus sit orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis (*Act.* XVII. 31.). B. Judas (*Epist. Cath.* v. 14.) vetustissimum Enoch vaticinium proferebat, ubi haec veritas aperte manifestatur: *Ecce venit Dominus, in sanctis millibus suis facere Judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum* Quamobrem Augustinus scribebat (*Lib. XX. de Civ. Dei.* c. 30.): *Nullus igitur vel negat, vel dubitat per Jesum Christum tale, quale istis sacris litteris praenuntiatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem litteris, nescio qua incredibili animositate, seu caecitate non credit.* Eum tamen in finem praeter particulare in aeternitatis aditu judicium (§. CCCCIII.), futurum est universale, ut Divina providentia, ac justitia coram universo orbe splendeat. Etenim quum impii hac in vita non raro honoribus, potentia, divitiis, omnibusque vitae commodis abundent, floreantque; probi contra premantur non raro, ac affligantur, necessarium erat universale Judicium, in quo palam justis aeterna felicitas, pessimis hominibus poenae commeritae rependantur. Justum est, ajebat Paulus (*II. ad Thess.* I. 16.) *Apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de caelo cum Angelis virtutis ejus.*

Scholion. Signum filii hominis in coelo eo tempore appariturum, fidem facit Matthaeus XXIV. 30.; hoc vero Domini crucem esse, non eam quidem in qua fuit affixus, sed ejusdem fulgidissimam imaginem, etsi Acatholici negant, Ecclesia in suis precibus canit: *Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit*, ac docuerunt

praeclari Ecclesiae Patres Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Prudentius, Theophylactus, ac alii. Judicium universale haud futurum affirmarunt Borboritae, Gnostici, Hermianitae, Manichaei. Quibus adstipulatus est David Georgius, qui hunc errorem in Hollandia an. 1501. spargere satagebat.

§. CCCCXX.

Judicii circumstantiae.

Christus itaque in ea, quam assumpsit, humana natura conspicuus ad multorum terrorem, ad electorum solamen judicium severissimum exercebit: ad cujus exercitationem utraque simul, Divina ac humana natura concurret. Quoniam Deus est, omniscientia sua cordium secreta omnino penetrabit; atque uti homo, ornatus gloria pro tribunali sedebit, ac irrevocabilem secundum cujusque meritum sententiam feret. In hoc Judicio Angeli non minus quam homines comparebunt: Angeli praesertim mali, quos in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit (*Epist. Cath. Judae V. 6.*); homines vero absque ullo status, aut conditionis discrimine, boni, ac mali, parvuli, ac magni. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Judicis (*II. ad Corinth. V. 10. Apoc. XX. 12.*). Fiet etiam bonorum a malis separatio; boni a dextris statuendi erunt, a sinistris improbi (*Matth. XXV. 32.*). Omnia vero ad accuratum examen revocabuntur: ac primum *opera*: *unusquisque enim referet propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum* (*II. ad Corint. V. 10.*): *Verba*: nam de quolibet etiam otioso verbo homines rationem reddere debent (*Matth. XII. 36.*): *Cogitationes*; quandoquidem Dominus *manifestabit consilia cordium* (*I. ad Corint. IV. 5.*). Judicii vero forma, cognitionem causae, sententiam, ejusque exequutionem complectitur. Causae cognitio facillima erit, tum propter Divini Judicis omniscientiam (nam omnia nuda sunt et aperta oculis ejus (*Ad Heb. IV. 13.*), tum quod cujuslibet conscientia Deo sic jubente omnia statim ante cujusque oculos ponet. Sapienter more suo Augustinus (*Lib. XX. de Civ. Dei C. XIV.*): *Quaedam igitur vis est intelligenda Divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona,*

vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul, et omnes et singuli judicentur. Causa cognita judicis sententia sequetur: justis dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum parâtum vobis a constitutione mundi*: impiis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* (*Matth.* XXV. 34. seq.). Nec mora: quandoquidem electi una cum corporibus suis ad Patriam coelestem in aevum beati avolabunt: caeteri vero ad aeternas, ingentesque calamitates inviti trahentur.

Scholion. Quantum ad locum, quo ad Judicium venturus est Christus, nihil habemus fide credendum: nec multum cognoscere refert. Nihilominus multi judicarunt Christi thronum collocandum in nubibus sublimem supra vallem Josaphat, quae constituta esse videtur inter montem Oliveti, ac urbem Hierusalem; unde putant judicandorum turbam circa illa loca per ingens terrae spatium fore explicandam. Hanc sententiam valde probabilem reddit, quod apud *Joelem III.* 2. legitur: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi.* Confer etiam V. 12. Attamen, quum verba Prophetae de imminente belli calamitate Syriis et Sydoniis ob vexatos Judaeos infligenda intelligi possint, inconcussum non est, quod inde depromitur, argumentum. His adde: vallem Josaphat significare *Judicium Dei*; hinc non pauci nobiles interpretes arbitrantur, ejus nomine indigitari quemcumque locum, ubi ad judicandum Christus Dominus adveniet. Maximi momenti est, ac ad avocandos animos a vitiis opportuna recordatio judicii: haec in adversis solari nos debet, haec torporem nostrum excutere, atque ad virtutes consectandas nos excitare. Enimvero, ut Chrysostomus observat in I. ad *Thess. IV. Nemo poterit judicis istius potestatem effugere, sapientiam fallere, aequitatem flectere, judicium retractare.* Unde talis esse debet vitae nostrae methodus, qualem in judicio ultimo optaremus. Itaque *secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, et ipsi in omni conversatio-*

ne sancti sitis: quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum; et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore tempore incolatus vestri conversamini. I. Petri I. 15. seq.

§. CCCCXXI.

Putidum commentum est, ait incredulorum nonnemo, quidquid de judicio universali in vulgus spargitur; globi enim terraquei superficies tota minime sufficeret, ut singulos, qui a mundi exordio usque ad ejus exitum vixere homines, stando tantum ad judicis sententiam audiendam contineat. Rebus tamen haud bene libratis, nec ad calculos aequos revocatis, sciolis, qui extremis tantum, ut dici solet, digitis res attingunt, imponere facile est. At quam misere illi decipiantur, jam nonnulli viri eruditi demonstrarunt. Et vero, hypothesi facta, quod in fine anni sexti Millenarii mortuorum resurrectio eveniret, eo tempore centum circiter octuaginta mille milliones hominum lucem aspexissent: sit locus pro quolibet ad standum bipedalis tetragonus Rhenanus, summa spatii tota hunc in finem necessarii novem mille Anglicana Milliaria tetragona complecteretur. Jamverò secundum accuratos calculos, quos Templemanus instituit (*Vojages, et avventures de Jacques Masse*), globi terraquei superficies excedit novem milliones, et ducenta millia milliarium tetragonorum. Quo fit, ut ex certis hisce, ac minime dubiis computis, vix centesima, ac quinquagesima Europae pars requiratur, ut centum octuaginta millia millionum humanorum corporum contineantur; atque globus noster terraqueus, antequam haud idoneus foret, ad justum spatium tribuendum hominibus, ut stent ad universale judicium ultra septem et viginti milliones annorum perdurare deberet. (*) Quibus addere possumus, justos gloriosis jam corporibus donatos rapiendos fore cum Difficultas solvitur.

(*) Calculos ac computos, quibus hae assertiones demonstrantur, reperies in libro D. Süssmilchs, cui titulus: *Ordo Dei in vita, et morte hominum* parte 2. Videas Gottefridum Less in memorato jam opere.

Christo Domino in superiori aeris parte, ibique judicii tempore permansuros, quemadmodum innuere videtur ad Thessalonicenses scribens Doctor gentium Paulus (I. IV. 15. 16.).

§. CCCCXXII.

Millenariorum regnum fabulis accensendum.

Ab ipso jam Ecclesiae exordio eorum grassabatur error, qui Beatos corpore reassumpto per mille annos cum Christo regnaturos in terris fore autumabant, quamquam tamen in hujus regni proprietatibus assignandis non omnes ejusdem mentis essent. Cerinthus restaurandam splendidissime Jerusalem, ac renovandos ritus mosaicos contendebat; cunctamque hujus temporis felicitatem in carnis voluptatibus obscoenus homo constituebat (*Apud Eusebium* lib. III. *hist. eccl.* c. XXVIII.). At Papias politiam Mosaicam omnem eliminabat, terrenumque Christi regnum spiritus deliciis affluens esse volebat (Ibid. Cap. ultimo). Utriusque opinionis adsertores, etsi postremi longe minus aliis, hallucinabantur. Cerinthi insaniam refellere haud difficile est. Salvator abrogata mosaica oeconomia ab hujus legis jugo ac servitute nos immunes reddidit (§. LXXXI.). Fieri itaque minime potest, ut Christus novum instituat in terris Regnum, ubi ritus illi abrogati restaurentur. In conviviis vero, et carnis illecebris Beatorum felicitatem constituere, fatuum est, ac absurdum. *Non est enim*, ut ait Apostolus (ad Rom. XIV. 17.) *Regnum Dei esca et potus*; atque ut nos docet Salvator ipse (Matth. XXII. 30.), *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Nec altera, quam Papias confinxit, sententia, defendi potest. Etenim sacri libri unius tantum omnibusque cum bonis tum malis hominibus communis resurrectionis meminerunt (§. CCCCXVII.), item duplicem tantum Christi in forma visibili adventum commemorant; unum humilem ad nos redimendos; in gloria alterum ad omnes omnino homines judicandos (Act. III. 21. I. ad Thes. IV. 15.). Adde, quam Christus proposuit, persequutionem patientibus mercedem, hanc non in terreno regno, sed in coelis repositam esse (Matth. V. 12.), atque Paulum nos docere, ut

quaeramus, quae sursum sunt, ubi Christus sedet ad dexteram Patris (Ad Colos. III. 1.). Unde apparet, millenariorum regnum fabellis anilibus esse accensendum.

Scholion. Chiliastarum errorem Anabaptistae renovabant, atque illum tuebantur inter Lutheranos Petersenius pluribus hac de re editis libris, inter Calvinianos Piscator *in cap. XX. Apoc.* Alstedius, Joseph Medus, et nonnulli alii.

§. CCCCXXIII.

Chiliastae opinionem suam hisce argumentis suffulcire conabantur. Salvator ipse illis qui hujus vitae bona propter suum nomen dimiserint, centuplum in altera promittit, ac vitam aeternam (Matth. XIX. 29). Item dicebat Apostolis (Luc. XXII. 29.): *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.* Sed utramque paginam facit celeberrimus Joannis locus (Apoc. XX.); legitur primo: Daemonem ad annos mille fore ligandum, tum solvendum tempore modico, Justorum judicium describitur, diciturque: *Et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis*, reliquos hoc decurrente tempore minime vixisse asseritur. Haec vero resurrectio prima vocatur, in qua ii, qui partem habuerunt, sacerdotes Dei erunt ac Christi: elapso mille annorum tempore generalis resurrectio describitur, quae nuncupatur secunda; subsequetur universale judicium; justis aeterna in coelis praemia, malis sempiterna supplicia decernentur. En millenariorum regnum vividis depictum coloribus. Millenariorum argumenta.

§. CCCCXXIV.

Quibus ordine reponimus: Christum Dominum iis, qui hujus mundi bona pro sui amore relinquunt, *nunc, in hoc tempore*, uti Marcus et Lucas exponunt (Matth. X. 29. Lucae XVIII. 30.), perdurante scilicet hujus vitae statu, spiritualis gaudii ac laetitiae tantum recipiunt, ut in earum comparatione rerum, quas suis sectatoribus mundus distribuit, pro centuplo aestimari et haberi debeant. Perperam Solvuntur.

itaque ad res hujus mundi fluxas, quae hominis animum explere nequeunt, veluti bonorum operum in vita altera mercedem Chiliastae mentem convertunt. Quid? quod nuptiae post resurrectionem non erunt (§. CCCCXXII.): itaque nec uxores; immo ut sapienter observavit Hieronymus (Lib. III. in Matth.), si quis pro una centum reciperet, turpitudo hac in re appareret. Jam vero regnum Dei non esse escam et potum certos nos reddidit Apostolus (§. CCCCXXII.), atque cum sacrae litterae convivii nomine suavitatem ac gaudium designare soleant (Apoc. XIX. 9. Ps. XXXV. 9.), atque magno apud principem in honore habeantur, qui ejusdem utuntur mensa; hinc sub convivii allegoria felicitatem, ac dignitatem, quam in coelesti Regno habituri sunt Beati, Christus describit. Obscurum ac prima fronte difficile Joannis testimonium est; planam tamen explanationem habet, si animadvertamus, ob gloriosam Christi Domini a mortuis resurrectionem Satanam devictum, eundemque hujus mundi Principem foris ejectum fuisse (Joan. XII. 31. 32.), atque ob eversum Evangelii praedicatione idolorum cultum Daemonis potestatem compressam fuisse, eumdemque censeri ligatum, quod per mille annorum spatium contingere dicitur, quoniam sacrorum librorum phrasi anni mille temporis denotant plenitudinem (Ps. CIV. 8. Deut. VII. 9. Paral. XVI. 15.). Dicitur autem Satanam per modicum tempus fore solvendum: quibus saevissima innuitur, quam Antichristus adversus Ecclesiam exercebit, persecutio. Beatorum autem judicium nil aliud insinuat, quam eos inventos fuisse absque macula, ac declaratos aeterna beatitudine dignos; prima vero resurrectio beatam coelestis regni possessionem denotat. Et revera Joannes inquit: *vidi animas decollatorum*, non autem ait eos ad vitam jam cum corpore revocatos aspexisse; atque eos non revixisse, sed tantum vixisse affirmat: vita nempe beata in coelis; secus ac opinabantur atrocissimi Ecclesiae hostes, qui eos infeliciter periisse autumabant: quam ob rem mille annis, id est ad mundi usque exitum dicuntur cum Christo regnare, eo quod beatifica Dei perfruuntur visione; ac Dei

et Christi sacerdotes nuncupantur, quoniam laudis ac gratiarum actionis assiduum sacrificium persolvunt. Ad haec: mortuorum universalis resurrectio futura est (§. CCCCXVII.), ac justi ad gloriam, improbi ad aeternas poenas vocabuntur.

§. CCCCXXV.

Ad extremi judicii tempora praenunciata a Salvatore consummatio saeculi adveniet (Matth. XIII. 39. 40. 49. Matth. XXVI. 3.). Quandoquidem, quae ad hujus vitae statum pertinent, habebunt finem, ac aeternitati aditum praebebunt. Consummationem hanc per ignis conflagrationem esse faciendam, fidem facit S. Petrus (II. Epist. III. 7. seq.), docens, quod, quemadmodum mundus tempore Noe aquarum gurgitibus periit, *Ita coeli, qui nunc sunt, et terra, et eodem verbo repositi sunt igni, reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum. . . adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* Ad haec respiciens Augustinus (*De civ. Dei* lib. XX. c. XVI.), scribit: *Judicatis quippe his, qui scripti non sunt in libro vitae, et in aeternum ignem missis. . . . tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione peribit: sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium.* Attamen non unum est Theologorum de saeculi consummatione judicium. Opinantur nonnulli coelum et terram fore in nihilum redigendam, censent alii ita immutandam, ut renovetur. In hanc sententiam descendit Augustinus (Ib. c. IV.): *Peracto*, inquit, *judicio tunc esse desinet hoc coelum, et haec terra, quando incipiet esse coelum novum, et terra nova; mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit mundus. Unde et Apostolus ait: Praeterit enim figura hujus mundi, volo vos sine sollicitudine esse;* quod etiam solidis argumentis tuetur S. Hieronymus (In Cap. XV. Is.).

Consummatio saeculi.

Scholion. Hanc mundi conflagrationem non pauci e Gentilibus Philosophis agnovere (§. CCCCXIV.

Sch.). Quantum vero ad modum attinet, Burnetus *in telluris Theoria sacra* lib. 3. id a montibus ignem ejicientibus repetit, Wisthonus a Cometis extra suam orbitam ad terram appulsis: at hae inanes sunt conjecturae. Legatur Augustinus in egregio de Civitate Dei opere, ubi de iis, quae ad mundi finem, signis illum praecedentibus, ac judicium universale spectant, egregie disserit.

CAPUT III.

De vita aeterna.

§. CCCCXXVI.

Beatitas justorum ex parte animi: Deum videbunt.

Qui felix, beatusque esse nolit, invenias neminem. Desiderium hoc ab auctore naturae animis nostris insitum, voluntatem nostram ita solicitat, attrahit, rapitque, ut illo carere minime possit (§. CC.). Nihilominus in natura beatitatis investiganda omnes fere, qui revelationis lumine destituebantur, misere hallucinati sunt. Quandoquidem plures hac in mortali vita, ubi plena esse nequit, eam quaerebant; atque, prout quisque affectus erat, sive in corporis voluptate, sive in fortunae bonis, vel in fama aut gloria, et virtute collocabat. Jamvero quum beatitas, *bonorum omnium sit, secretis omnibus malis, cumulata complexio*, aut, uti ajebat Augustinus (Lib. X. *de Civ. Dei* c. I.), *Rerum optandarum cumulata plenitudo*: atque voluptas animi pestis sit, tristesque exitus non raro secum ferat, mundanae res omnes fluxae sint, caducae, nec nón nobis invitis eripi possint; virtus ipsa nonnumquam opprimatur: quisquis cumulatam bonorum omnium complexionem secretis omnibus malis hac in vita quaerit, insipiens sit, oportet. Restat igitur, ut nostram beatitatem a Deo, qui solus desiderium nostrum satiare penitus valet, proficisci asseramus. Porro, quum Deus sit cuique redditurus secundum opera sua; ac iis, *Qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam* (Ad Rom. II. 6. 7.), hinc beatorum ex parte animi felicitas in eo repo-

nenda est, quod Deum videbunt. Id quod jam Salvator justis in praemium adpromiserat (Matth. V. 8): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Scholion. Aristippus ejusque sectatores hominis beatitatem in corporis voluptate reponebant. Verum Hegesiaci ex eadem Cyrenaicorum secta propria experientia edocti, quam parum verae felicitati adipiscendae bona corporis conferant, teste Laertio lib. 11. *de gestis philos. segm.* 95. ajebant: *Esse impossibile cumulate beatam vitam consequi, beatam vitam obtineri non posse.* Quantum ad Epicurum, num ipse felicitatem in corporis voluptatibus posuerit, non adeo exploratum est: sane Laertius hujus sectae philosophus, non corporis, sed animi voluptates felicem hominis vitam reddere affirmabat. Vid. Batteux *morale de Epicure.* Fuere, qui divitiis fere omnia comparari prospicientes, in iisdem beatitudinem collocabant. Unde ajebat Horatius lib. II. *Sat.* 3.

Omnes enim res,
Virtus, fama, decus, Divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et Rex,
Et quidquid volet.

Quam pravam doctrinam solide, ac nervose confutant Cyprianus *epist. II. ad Donatum*, et Augustinus in *Ps.* 109. A veritate non minus aberrarunt, qui beatitudinem in fama aut gloria repositam esse judicabant. Haec enim inanibus saepe vulgi rumoribus, ac praejudicatis opinionibus reguntur: saltem invidia ac livore adversariorum aliquando obscurantur, quumque nullius nomen apud omnes mundi nationes pervagatum sit, apud plurimos ille inglorius habeatur, necesse est. In virtute Stoici summum hominis bonum agnoscebant. At fieri ne potest hominem sapientem, et virtute praeditum, conflictatum miseriis, obnoxium doloribus, in Phalaridis tauro esse beatum? Animus tamen non est philosophorum de Beatitate opiniones referre singulas. Nam Augustino teste *de Civ. Dei lib. XIX. C.*

I. *M. Varro in libro de philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, et subtiliter scrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo sectas, non quae jam essent, sed, quae esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret.* Confer Ciceronem *de finibus bonorum, et malorum*, Huetium *Alnet. quaest. lib. III. c. II.*

§. CCCCXXVII.

Et quidem intuitive.

At enim Dei visio duplex est, *abstractiva*, et *intuitiva*: illa hac in vita potimur, dum ex universi contemplatione ad Dei cognitionem assurgimus; alteram habituri sumus in patria, quum ipsam Dei naturam clare videbimus. Neve quis fieri posse autumet, ipsam Dei essentiam, quae spiritalis est, corporeis oculis fore videndam; advertat, quod sapienter observabat Augustinus (Epist. 147. c. 9.): *Visus, quamvis ad corpus proprie pertineat, ad mentem quoque refertur: animo quippe res non minus, quam oculis cernere dicimur.* Justi itaque, quorum beatitas est videre Deum (§. praec.), ipsum non abstractiva, sed intuitiva visione conspicient. Nam Salvator de Angelis, quorum par est cum beatis conditio, ajebat (Matth. XVIII. 10.), *semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Paulus vero Corinthiis scribebat (I. Epist. XIII. 12.): *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem;* atque Joannes docebat (I. Epist. III. 2.): *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Cujus doctrinae testes sunt praeclarissimi Ecclesiae Patres, Irenaeus (Lib. IV. c. 37.), Clemens Alexandrinus (Lib. V. Strom.), Gregorius Nazianzenus (Orat. XX.), Augustinus (Ep. 112.), aliique plures. Unde haec veritas in Florentino Concilio (*In decreto unionis*), merito definita fuit.

Scholion. Deum corporeis oculis intueri non posse, perspicuum est. Hinc Origenes lib. VII. Celsum confutabat opponentem Christianis, quod arbitrentur, divinam naturam oculis corporeis posse

intueri; Augustinus vero ajebat *Epist.* 92. *Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest*, *neque tunc poterit*, atque in finem ejusdem epistolae contrariam sententiam vocat *dementiam*. Attamen, quum Episcopus quidam gravem sibi ab Augustino illatam injuriam fuisse conquereretur; ac affirmaret, se judicasse, Deum ideo fore oculis conspiciendum, quoniam ii post resurrectionem spiritales evadent; Augustinus pacis amantissimus, ac singulari caritate flagrans *in Epist.* 148. *ad Fortun.* veniam humiliter petiit; sed simul corporeis oculis, Deum, qui spiritus est, intueri minime posse iterum monet inculcatque. Num vero oculi post resurrectionem futuri sint spiritales, ob turbatum jam Episcopum pronuntiare haud opportunum existimavit. Ceterum si diligenter ea perlegantur, quae *Epist.* 147. et *lib.* XXII. *de Civ. Dei* cap. 29. scribit, hanc sententiam nequaquam ei arrisisse apparebit. Unde evincitur, judicium, quod de Augustino Petavius lib. VII. *Theol. dogm.* protulit, haud fuisse libratum. Vid. Berti *de Theol. disc.* lib. III. c. 5.

§. CCCCXXVIII.

Attamen gravissime hallucinabantur, quotquot a creato intellectu Deum solis nativis viribus intuitive videri posse delirabant (*). Quandoquidem naturae finitae vires tantae non sunt, ut objectum infinitum, uti Deus est, attingere valeant. Quo pacto Apostolus (I. ad Timot. I. 17.), Deum invisibilem esse affirmabat, nec ab aliquo homine aut visum fuisse, aut videri posse fidem faciebat (Ibid. VI. 16.). Corroborari itaque debet divina potentia mens nostra, ut nativam imbecillitatem deponat, atque ad Deum usque contemplandum assurgat. Auxilium hoc Bea- Adjuti lumine gloriae.

(*) Vana haec fuit, et insana Aetianorum, ac Eunomianorum jactantia, qui se naturali virtute, tam clare videre Deum, ac alios quoslibet homines effutiebant. Errorem hunc a Beguardis, et Beguinis saec. XIV. e cineribus suscitatum Concilium Viennense merito ad tenebras damnavit. Errabant ex opposito Armeni, ac Palamitae contendentes Deum ipsum a Beatis haud posse intueri, sed splendorem dumtaxat a divinitate diffusum, ac ab ea realiter distinctum, qui vel ipsis corporeis oculis conspiceretur.

tis in patria a Deo subministratum *lumen gloriae* appellare Theologi consuerunt; nec immerito. Regius enim Propheta ajebat (Ps. XXV. 10.), *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*, cui Joannes concinit scribens (Apoc. XXII. 5.), *Non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Scholastici, dum hujus luminis naturam investigare conantur, mirum in modum inter se dissident. In tanta rerum caligine, si dicere velim, quod magis probabile mihi videtur, arbitrarer, lumen istud non esse entitatem aliquam peripateticam; sed Deum intime praesentem, moventem, irradiantem ac permanenter opitulantem Beatorum animas, ut clare ipsum intueri valeant. Hinc Augustinus inquit (Ep. 6.): *Lux illa Deus ipse est, quoniam Deus lux est, tenebrae in eo non sunt ullae, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum.*

§. CCCCXXIX.

Non tamen comprehendent. Beati *gloriae lumine* corroborati Deum quidem intuitive vident (§. CCCCXXVII.), at eumdem comprehendere minime poterunt. *Aliud est enim videre, aliud est, totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*; inquit Augustinus (Epist. 112. n. 9.). Hinc patet comprehensionem secum ferre plenissimam rei cognitionem, unde ejus magnitudinem assequamur totam et exaequamur. Quamobrem ad Deum comprehendendum opus foret, ut non tantum ejus videamus naturam; verum etiam assequeremur cuncta, quae sapientia ipsius infinita noscit, ac omnipotens ejusdem virtus producere potest. Haec vero singula, ut complecteretur Beatorum mens, infinita esse deberet: nam tunc Deum infinitum exhauriret; porro cum ipsorum vires finitae ac limitatae necessario permaneant, fieri non potest, ut creata res aliqua, quantumvis praecellens sit, Deum comprehendat. Sapienter Augustinus (Serm. 117. n. 5.): *Si enim comprehendis, non est Deus; sit pia confessio ignorantiae magis, quam temeraria professio scientiae; attingere ali-*

quantum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile. Huc pertinent illae sacrorum librorum phrases, ubi dicitur Deus: *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu* (Jer. XXXII. 19.), sive quod ille faciat, *Mogna et incomprehensilia* (Job. IX. 10. ad Rom. XI. 33.).

Scholion. Quum Paulus I. ad Corint. IX. 24. ajebat: *Sic currite, ut comprehendatis*; ac de semetipso ad Philip. III. 12. *Sequor autem, si quo modo comprehendam*: verbum *comprehendere*, uti contextus docet, accepit, quatenus significat aliquid consequi, aut adipisci; non vero pro perfectissima, quam descripsimus, Dei cognitione. Jam vero, quum sacri libri Deum invisibilem esse ajunt, ac nonnulli Ecclesiae Patres, ut Chrysostomus, Theodoretus affirmant neque ab Angelis, et Archangelis Deum posse intueri; vel negant visionem Dei oculis corporeis, vel solis naturae viribus, aut de comprehensiva visione loquebantur. Petrus vero Ep. I. c. I. 12. scribens, *in quem desiderant Angeli prospicere*: de rei nondum possessae desiderio haud sermonem instituit; sed de illo, quod rei possessione semper accenditur. Attamen eo quod Graeca, ac Syriaca exemplaria habent: *In quae desiderant*; hinc Calmetio, Estio, aliisque Theologis placet, Apostolorum principem ad fidei Sacramenta respexisse; atque hunc esse sensum, in quae salutis, ac redemtionis jam vobis annuntiata mysteria, etsi prius jam illa noverunt Angeli, penitius tamen introspicere desiderant, ac fidei Christianae incrementum, ac propagationem videre.

§. CCCCXXX.

Ea est voluntatis nostrae indoles, ut ex sua naturali constitutione in bonum, quod naturale ejus objectum est, feratur, atque a malo, quod boni defectus est, refugiat, illudque aversetur (§. CC.). Quumque, quo plus novimus quod bonum est, magis illud optemus, eoque delectemur ardentius (§. CLXI. Sch.); ac Beati in Patria ipsum summum Bonum, cujus comparatione caetera evanescunt, possideant, clare videant, ac contemplentur, eorum- Sed summo in Deum amore feruntur.

dem voluntas delectationem tantam concipere debet, ut attrahatur, ac rapiatur tota, et sponte quidem, sed necessario Deum amore summo, ac intensissimo prosequatur. Hinc Apostolus caritatis elogium contexens, virtutibus, ac donis caeteris praefert; atque de ipsa, quod numquam excidet, asserit (I. ad Corinth. XIII.). Nam prophetiae, ac linguarum dona cessabunt, hujus vitae scientia evanescet: fides ipsa, et spes non permanebunt, haec scilicet in fruitione, illa in Dei visione immutabitur. At caritas, quae hac in vita coepit, augebitur, perficieturque. Nihilominus hujus, quo Beati flagrabunt, amoris dignitatem, amplitudinem, perfectionem nec mente assequi, nec verbis penitus exprimere possumus. Animus quippe noster corpore gravatus, ac praepeditus, nec gloriae lumine collustratus, quantum bonum Deus sit, percipere minime potest. Vos, vos Cherubim, vos Seraphim, vos Beati, quanto amore Deus in coelis diligatur, soli edicere, ac explicare valetis. O amor, intensissimus amor! O caritas, perfectissima caritas! O gaudium purum, ineffabile, aeternum! *Ubi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur* (*Augustinus de Civ. Dei* lib. XXII. c. ult.).

§. CCCCXXXI.

Inde mirifica cum Deo Justorum consensio, et unio.

Felices justorum animae summi boni possessione ita alliciuntur, replentur, satiantur, ut ab eo divelli nec possint, nec velint, atque sicuti adeptam felicitatem, ita virtutem, pietatem, sanctitatem amittere nequeant. *Erit ergo illius civitatis, et una in omnibus, et inseparabilis in singulis voluntas libera ab omni malo liberata, et impleta omni bono, fruens indeficienter aeternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita paenarum, nec tamen suae liberationis oblita, ut liberatori suo non sit grata*, uti praeclare Augustinus docet (*De civ. Dei* lib. XXII. c. ult.). Quapropter Beati vel ipsa peccati umbra, quod unicum a Deo dissociari nos potest, carentes, atque intensissima caritate Deo adhaerentes, tantam habebunt cum illo consensionem, ut Dei voluntas, ipsorum voluntas sit, ac nihil optent, nihil agant, nihil cogitent, quod ab illo non de-

rivaverit, ac in ejusdem gloriam non referatur. Unde beneficentissimo tot bonorum largitori assiduas gratias agent, ipsorumque laudibus universum coelum resonabit. Tanta autem justorum erit cum Deo unio, ut in ipsum quodammodo transformandi videantur. Ea ratione, qua, si a creatis rebus similitudinem deprómere liceat, in pareliis contingit. Sol enim oppositam sibi nubem nonnumquam radiis suis adeo investit, illustratque, ut ipsa sol alter videatur (*); ita Beati divino lumine collustrati, similitudinem fere induent divinae naturae: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I. Joan. III. 12.), atque ibi impletum videbimus, quod pro electis a patre Salvator postulabat: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.... ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum* (Joan. XVII. 21. seq.). At mortalis homo, quanta futura sit ex parte animi Justorum felicitas, leviter tantum adumbrare potest. Etenim Paulo teste (I. ad Corinth. II. 9.), *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

§. CCCCXXXII.

Beatitas ex parte corporis nec morti.

Peccati stipendium mors est; et qui a Deo conditi eramus, ut gratiae ipsius beneficio, immortalitate donaremur, ob violatum a parentibus primis divinum mandatum, moriendi legi subditi facti sumus omnes (§. CCCXCIX.). At beati Deo incommutabiliter adhaerentes, ac in gratia confirmati meliorem naturam induent, nec corruptioni, aut dissolutioni amplius obnoxii erunt. Unde doctor Gentium ajebat (I. ad. Corint. XV. 53.): *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem: tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors victoria tua.* Eodem pertinet, quod Joannes scribit, mortem et infernum missos esse in stagnum ignis; item, quod

(*) Confer Newtoni *opticam lib. I. par. II. prop. 9.* Cartesii *meteoras in op. philos.* Hugenium. *in transact. physicis.*

mors ultra non erit (Apoc. XX. 14. XXI. 4.); atque quod de justis Salvator docebat (Lucae XX. 36.). *Ultra mori non potuerunt: aequales enim Angelis sunt.* Porro quum beatus non sit, qui timet, ne amittat, quod possidet (*August. de Vita beata* n. XI.), hinc Justi felicitatibus cumulati magnum inde gaudium percipient, quod noscant se corpore immortales esse, ac beatitudine coelesti perpetuo se fore decorandos.

Scholion. Haec Beatorum immortalitas ab illa, quam Deus habet, plurimum distat. Etenim *I. ad Timoth. VI.* 16. solus immortalitatem habere dicitur; eo quod ex natura sua immortalis ita est, ut nulla vi, nulla potentia ab ipso eripi valeat, ac non possit non esse immortalis. Secernitur non minus ab Angelorum, ac animarum immortalitate; quia hi tum ob creatoris gratiam, tum ob naturam spiritalem, quae simplex est, nec potest dissolvi (§. CCCC.), sunt immortales: corpora autem Beatorum singulari Dei beneficio in melius reformata, morti amplius subjici non poterunt. Unde discriminatur etiam ab immortalitate, quam Adam habuisset: ut enim observat Augustinus *de Civ. Dei* lib. XX. c. ult. n. 3. *Prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori: novissima erit non posse mori.* Distinguitur postremo a damnatorum immortalitate. Nam isti immortalitatem habent ad poenam: Sancti ad gloriam.

§. CCCCXXXIII.

Nec caeteris corporis molestiis erunt obnoxii.

Beatitudo bonorum omnium est, secretis omnibus malis cumulata complexio (§. CCCXXVI.); hinc fit, ut quemadmodum justi in coelis morti non erunt obnoxii; ita nec caeteris, quibus hac in vita premimur, corporis molestiis, ac calamitatibus. Paucis id Joannes complexus est (Apoc. VII. 16. 17. XXI. 4.): *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus aestus*: item: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Concinit Doctor gentium de corpore scribens: *Se-*

minatur in corruptione, surget in incorruptione . . . Seminatur in infirmitate, surget in virtute (I. ad Corinth. XV. 42.). Quo datur intelligi, cum immunitate a corporis molestiis omnis boni pleuitudinem uniendam fore. *Nam hic desideratur, ibi capitur; hic suspiratur, ibi gaudetur; hic oratur, ibi laudatur; hic gemitur, ibi exultatur.* Sapienter more suo Augustinus (in Ps. LXXXXIII. n. 6.). Ibi vera gloria erit, verus honor, vera pax, ubi Deus *erit omnia in omnibus* (I. ad Corint. XV. 28.).

Scholion. Ad majorem felicitatis beatorum in corpore ideam nobis ingenerandam, eam Deus sub imagine rerum, quae plurimum ab hominibus fieri solent, nobis adumbrat. Et vero quoniam oculis nostris pergrata est lux, ideo sub lucis imagine exhibetur Is. LX. 1. Apoc. XXI. 23. Quia nil hoc in mundo pace, ac tranquillitate optabilius, in coelesti Patria pace, et quiete nos fruituros dicitur ad Rom. XIV. 17. Quum nihil festivum magis sit ac hilare, quam nuptiale convivium, idcirco per Agni immaculati nuptias Apoc. XIX. 7. ac convivium filii Regis nuptiale, aeternum gaudium delineatur Matth. XXII. 2. Eo quod nihil augustius Corona, ac Throno, sub his figuris sempiterna felicitas describitur Apoc. III. 21. Jac. I. 12. Quoniam nil splendidius Regno, nil magis venerandum, quam Sacerdotium, Beati Reges erunt, ac Sacerdotes I. Petri II. 5. Quamobrem nihil est tam illustre, excellens, magnificum, splendidum, utile, suave, jucundum, quod in coelorum Regno haud reperiatur.

§. CCCCXXXIV.

Mirifica etiam corpus inter et animam vigebit consensio.

Quam infelix est post Adae lapsum hominis conditio! Nascitur irae filius, infectusque concupiscentia, quae ad res commutabiles fluxasque eum allicit, trahitque; animam inter ac corpus bellum intestinum experitur; ac quasi divisus est, sibique contrarius. *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (Sap. IX. 15.). Et vero

sana et recta ratio ad Deum vocat, sed corporis pondus ad terrena nos retrahit. Animus noster pulchritudine, praestantia, sanctitate Divinae legis delectatur; at habemus aliam in membris legem, quae mentis legi repugnat. *Condelector*, ajebat Paulus (ad Rom. VII. 22.), *legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae; et captivantem in lege peccati.* Atrox haec, ac intima pugna in Beatis haud locum habebit. Nam effraenis, ac lacertosa cupiditas in ipsis erit nulla; affectus inordinati tunc penitus cessabunt; animus Principatum geret, lubenterque corpus obtemperabit; ac tantus ad invicem concentus erit, et harmonia, ut major exprimi nequeat. Quam mirificam consensionem Doctor Gentium insinuabat adserens (I. ad Corinth. XV. 44.), *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Etenim, uti Augustinus observat (*de Fide et Sym.* c. 6.): *Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in spiritum, et spiritus fiat, quia et nunc corpus nostrum*, quod animale *dicitur*, *non in animam versum est, et anima factum, sed spiritale corpus intelligitur; quod ita spiritui subditum est, ut coelesti habitationi conveniat omni fragilitate, ac labe terrena in coelestem puritatem, et stabilitatem mutata, atque conversa.* Quapropter, etsi corporis natura maneat eadem, ab inutili tamen carnis pondere corpus liberatum erit; hinc agilitate ac pernicitate summa donatum, atque ob maximum qui animam inter et corpus viget concentum ibi corpus erit, ubi animus voluerit: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus (*August. de civ. Dei* lib. XXII. c. ult.). Praclaram hanc corporis Beatorum praerogativam Isaias jam praenuntiaverat (XL. 31.).

SCHOLION. Erravit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, qui in resurrectione corpora alterius generis fore autumabat, cui errori obviam ivit Gregorius Magnus *lib. XVI. mor.* num. 72. ac tantam sibi dedit operam, ut Eutychius errorem suum tandem revocaverit. Hallucinantur non minus Soci-

niani adserentes corpora carne et sanguine, cute et ossibus, ac partibus organicis fore destituenda. Nec eos juvat, quod Matth. XXII. 30. Beati futuri dicantur sicut Angeli Dei: nam istud non de corporis substantia; sed tantum de dotibus ac proprietatibus dicta sunt; eo quod nec cibo, vel potu, aut somno amplius indigebunt, nec morti, nec caeteris hujus vitae miseriis (§. CCCCXXVII. seq.) amplius subjecti erunt. Augustinus vero lib. de *Civ. Dei* XIII. c. XVI. nonnullos Platonicos Philosophos confutaverat, qui perfectam beatitudinem in anima ab omni corporis concretione penitus soluta reponebant.

§. CCCCXXXV.

Ac mira etiam claritate, et splendore corpora fulgebunt.

Attamen iis haud solis, quae jam commemoravimus (§. CCCCXXXII. seq.) egregiis dotibus corpora Beatorum condecorata erunt; verum etiam claritate ac splendore summo, qui affluentis uberrime in anima gaudii signum erit non ambiguum, mirum in modum coruscabunt. Disertis verbis id Salvator docuit (*Matth.* XIII. 43.): *Justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Paulus nos certos reddit, quod Christus *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae* (*ad Philipp.* III. 21.), item, quod *seminatur in ignobilitate, resurget ἐν δόξῃ*: δόξα gloria, claritas, splendor (I. *ad Corint.* XV. 43.). Hujus splendoris specimen in Moyse exhibent sacri libri, cujus facies ex colloquio cum Deo tantum lucis contraxit, ut in eam filii Israel oculos intendere minime possent (*Ex.* XXXIV.); atque praecellentius exemplum aliud in Christi Domini transfiguratione (*Matt.* XVII. 2.); nam *facies ejus resplenduit sicut Sol, vestimenta autem ejus alba facta sunt sicut nix.*

Scholion. Tantus erit in Beatorum corporibus splendor, ut humanus oculus, quemadmodum modo configuratus est, vix illum substinere valeret; at in resurrectione Beatorum visus adeo perficietur, ut maximus corporis Christi fulgor, ac Sanctorum ejus, oculis sit futurus jucundissimus.

§. CCCCXXXVI.

Eorumque felicitas ex Beatorum et Angelorum consortio.

Quam suavis sit, quae virtuti amicitia innititur, virosque probos pari voluntate, morumque similitudine jungit, nemo est qui ignoret: nam de ejus utilitate consentiunt omnes, atque in humanis rebus nihil est tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. Nihilominus, quum omnium paria non sint studia, non iidem affectus, ac non pauci utilitate potius sua, quam honestate res dimentiantur, fit ut haec inter pauces adinveniatur, atque non raro ipsamet sive nostra sive aliorum imbecillitate, claudicet, et vacillet. Pace ac animi tranquillitate nihil est hac in vita dulcius, tamen, etsi eam exoptat quilibet, frui raro nobis est concessum. Quod si ita est, quis digne percipere possit, quanta in coelis futura sit externa felicitas, ubi Deus sanctissimos illos cives reget, ac mutuo amore, ac perfecta caritate singulos copulabit? Quale Regnum! Quales Cives! Qualis fortunatissima ac jucundissima societas! Ibi Angelorum nobilissimi Chori; ibi Beatorum felicissima multitudo; ibi pax ac tranquillitas nullis unquam fluctibus turbanda; ibi livoris, odii, zelotypiae, malesanae cupiditatis nomen ignotum est; ibi omnes veluti unius Patris concordes filii communem bonorum cunctorum, aeternamque haereditatem obtinebunt; ibi par voluntas, paria studia, unus finis Deo placendi, amandi, ac summis laudibus celebrandi. Inde exurgere necessario debet mutua beatorum consensio, ac arctissima vitae necessitudo, in qua Divinam Providentiam, ac admiranda naturae et gratiae opera admirabuntur, dignisque laudibus extollent. O Amor! o Pax! o Gaudium! o Beatitudo!

Scholion. Quisquis haec serio recogitet, ad honores, divitias, humanasque delicias, quae umbra sunt, ac fumus inanis, cor suum minime apponet; sed mente ad coelum elevata illa ardenter desiderabit gaudia summa, quae Deus diligentibus se praeparavit.

§. CCCCXXXVII.

Beatitas justorum gradus

Deus aequissimus judex est, cuique secundum opera mercedem rependens (§. CCCCXX.). Jam ve-

ro, quum alii aliis intensius ipsum amaverint et coluerint; aliis alii plus in Ecclesia adlaboraverint; ac non pauci etiam fuerint, qui proprium sanguinem pro Dei gloria ac Evangelii propagatione libenti animo fuderint: hinc Divinae justitiae exposcit ordo, ut in ipsa Justorum beatitate gradus adsint, uberioremque gloriam obtineant ii, qui Divinae gratiae auxilio suffulti majus sibi meritum compararunt. Quam veritatem a nonnullis denegatam fuisse miror, adeo perspicue illam tradunt sacrarum litterarum oracula. Chritus Dominus inquit (*Joan.* XIV. 2.): *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Paulus (I. *ad Corint.* III. 8.): *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem*: item (ib. XV. 41.): *Alia claritas Solis, alia claritas Lunae, alia claritas Stellarum; Stella enim differt a stella in claritate; sic et resurrectio mortuorum.* (II. *ad Cor.* IX. 6.): *Qui parce seminat, parce et metet.* Quantum ad Patres attinet, de eorumdem consensione nullum dubium est; id enim persuasum fuit Polycarpo (*in actis passionis suae.*), Iraeneo (lib. IV. cap. 13.), Tertulliano (*in Scorp.* c. VI.), Cypriano (*De habitu Virg.*), Hilario (*Enarr. ps.* 64.), Chrysostomo (*Hom.* 41. *in I. ad Corint.*), Ambrosio (*de bono Mortis* c. X.), Nazianzeno (*Orat.* 34.), Augustino (*Tract.* 67. *in Joan.*), Fulgentio (*de fide ad Petrum.*), Gregorio magno (*Lib.* 4. *Mor.* c. 31.). Quamobrem merito definiverunt Patres Florentini (*in decreto unionis*) Sanctorum animas mox in coelum recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et Unum pro meritorum diversitate alium alio perfectius.

habebit pro meritorum diversitate.

Scholion. Jovinianus, sicuti in meritis discrimen agnoscebat nullum, ita parem in omnibus beatitatis gradum esse decernebat, ut videre est apud S. Hieronymum lib. I. *adversus* eumdem. Lutherani, quemadmodum affirmat Buddaeus *lib.* II. c. III. §. XI. operibus nostris nos promereri posse certum gloriae gradum negant; beatitatem, quatenus in Dei visione, ac fruitione consistit aequalem in omnibus statuunt; at quantum ad corporis claritatem, ac dona, quae vocari solent *accidentalia*, inaequalem es-

se admittunt. Eadem mihi esse videtur Turretini Calviniani sententia *Loc. XX. quaest. X.* quamquam tamen non paucos esse affirmet, qui neque quantum ad ipsa *accidentalia*, graduum diversitatem in beatitate admittere velint. Catholici vero Theologi sicuti inaequalia merita, ita inaequale praemium in ipsa Dei visione ac fruitione constituunt. Etenim, quamvis Beati omnes Deum intuitive videant, amentque, nihilominus Deo per lumen gloriae illorum mentes magis vel minus suffulciente, fit, ut ii, qui excellentioribus meritis insigniti sunt, majori intelligentiae vi Dei naturam contemplentur, ac majori caritatis gradu eumdem diligant. Caeterum Beati omnes satiantur penitus, quia Deum vident, eoque fruuntur secundum mensuram, quam acceperunt. Ita luminaria singula in ordine suo perfecta sunt, et tamen alia aliis magis splendent, corruscantque I. ad Cor. XV. 41.; ita, quae inaequalis magnitudinis sunt vasa, omnia quidem adimplentur, sed majora plus recipiunt, minora minus.

§. CCCCXXXVIII.

Difficultas solvitur.

Qui ad vineam Domini excolendam, uti habet Parabola Evangelica (*Matt. XX.*) conducti erant, sive multum, sive parum adlaboraverint, aequalem singuli mercedem receperunt. Jamvero, quum Christus Dominus ea sub figura praemium, quod in coelis obtinebunt justi, designare voluerit; manifestum est, justorum beatitatem futuram esse in omnibus parem. Cui difficultati reponimus: in parabolis haud omnia esse anxie perscrutanda, non enim cum rebus, quas significant, perfecte semper congruunt. Quod de hac ipsa procul dubio dicendum est: secus in coelorum Regno murmura, ac invidiam, quod absit, quaerere oporteret (*ib. ver.* 11. seq.). Nihilominus asserimus, in hac parabola voluisse nos Christum edocere, parem fore in omnibus mercedem, quantum ad ipsam aeternam vitam, non vero quantum ad gaudii intensionem; quemadmodum praeclarissimi Ecclesiae Patres exponunt. (*) Verum

(*) S. Ambrosius *lib.* 7. in *Lucam* ait: *Nam et undecima conducti hora et aequalem dignaris mercedem solvere, mercedem*

cum Gregorio Nazianzeno respondere etiam possumus (*Orat.* 40.), quod si, eadem quantum ad gradus ipsos beatitas fuit ibi praesignata, ii, qui serius ad Deum se converterunt, minusque quam alii, quantum ad tempus laboraverint, doloris magnitudine, diligentia, ac ardentiori caritate aliorum meritum adaequaverint.

§. CCCCXXXIX.

Beatissimum justorum statum deploranda sequitur, nec coloribus sat tetris pingenda illorum conditio, qui ob proprias gravesque culpas Judice aequissimo ad aeternas poenas damnati sunt (§. CCCCXX.). Verum ipso in aditu importuna contradicentium turba nobis se offert, quae accitis undique armis veritatem hanc se facile prosternere posse, gloriatur. Quorum tamen conatum impetumque Divina sacrorum librorum auctoritate reprimere, arduum non est. Ac primum: Nonne Paulus de iis, qui Evangelio non credunt, asserit quod *poenas* (II. *ad Thes.* I. 9.) *dabunt in interitu aeternas*? Nonne S. Judas (*Epist. Cath.* 7., et 13.) malis Angelis *vincula eterna*, ac impiis hominibus *procellam tenebrarum in aeternum* manere fidem facit? Huc etiam pertinet, quod Christus Dominus paleas, sub quarum imagine reprobi designantur, *comburet igne inextinguibili* (*Lucae* III. 17.); item, quod damnatorum *vermis non morietur*; *et ignis eorum non extinguetur* (*Is. LXVI. Marc. IX.* 43. 45. 47.). Illorum autem effugium, qui has Scripturarum sententias, puras putasque comminationes continere dicunt, Salvator ipse praeclusit, de impiis, peracto universali judicio, ajens: *et ibunt hi in supplicium aeternum* (Matth. XXV. 46.). Quid plura? *fumus tormentorum ascendere* dicitur (*Apoc. XIV.* 11.) εἰς αἰῶνας αἰώνων in saecula saeculorum, tum reprobi cruciandi

Damnatorum poenae aeternae.

vitae non gloriae. Hieronymus *lib.* II. *adversus Jovin. Unus denarius non unum est praemium, sed una vita, et una de gehenna liberatio.* Augustinus *tract.* 67. *in Joan. Denario, ait, vita significatur aeterna; ubi alio amplius nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in aeternitate mensura: sed multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates.*

sunt (ib. *XX.* 10.) *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων in saecula saeculorum*; qua phrasi, quum sacrae litterae Dei aeternitatem, quae finem habere nequit, nobis non raro describant, dubium manere potest nullum, quod Damnatorum poenae fine carebunt.

Scholion. Poenarum aeternitatem inficias ivit Origenes, qui omnium Apocatastasim, sive restitutionem defendebat. Laterem autem lavandum suscepisse, qui eum ab hoc errore purgare conati sunt ostendit Huetius *in Origen.* lib. II. c. II. Errorem hunc Joanna Leadia restauravit in opere, cui titulus: *Evangelium aeternum*, cujus sententiae patrocinium suscepit Petersenius pluribus hac de re editis libellis, eique adstipulati sunt alii Protestantes, uti Seebachius, Siegvolchius, sive ut verum ejus nomen est, Klein-Nicolai, Langius, ac praecipue Ludovicus Gerhardus, qui omnes ingenii sui vires iu id intendit, ut hanc omnium sive Daemonum, sive impiorum hominum restitutionem in melius probaret, vindicaretque. Totam rei gestae seriem, nomina, ac opera illorum, qui hosce confutandi onus inter ipsos Lutheranos sibi assumpserunt, recenset Walchius *Bibl. Theol. tom. II.* c. V. sect. *XVII.* §. I. seq. Origenistis adhaeserunt adhuc Burnetus *de statu mort. et resur.* Clericus *Parrhas.* tom. I. Tillotsonus Cantuariensis Archiepiscopus, Kingius, aliique. Sociniani poenarum aeternitatem denegantes alia incedunt via; nam judicant infelices damnatos in nihilum redigendos esse: ita Crellius, Wolzogenius, aliique hujus sectae Doctores, quibus ex Academia Altdorfina adstipulabatur Ernestus Sonerus, atque ex Anglis celeber Lockius *in Christiana Religione rationi consona.* Poenarum aeternitatem aggressi sunt Baelius *dans la reponse aux question d' un Provincial tom. III.* c. 144. et 178. tum Hobbesius, Spinosa, Collinsius, Tolandus, Wisthonus, Tindalius, Marchio de Argento *in litteris judaicis*, Voltairius art. *inferne*, Auctor *du systeme de la nature* not. p. 276.; ac generatim omnes ii, qui *spiritus fortes* se vocari amant. Rousseau, etsi eo etiam inclinet, in suo tamen *Æmilio tom.* 3. rem penitus definire ausus non

est; immo in quodam opusculo ad Genevenses suos, qui a dogmate de poenarum aeternitate jam recedere videntur, eosdem facete perstringit. Ex Purgatorii doctrina, ait, vos occasionem inde arripuistis, ut vos ab Ecclesia Romana sejungeretis; itaque si poenas aeternas negatis, ac ad tempus tantum statuitis, in Purgatorii dogma reciditis.

§. CCCCXL.

Argumenta adversariorum ex S. Litteris.

Asserant licet sacrae litterae impiorum poenas futuras esse aeternas, leve tamen est, ac infirmum, quod inde depromebatur argumentum: quisquis enim in his vel parumper tinctus est, haud ignorat, *aeternitatem* pro diuturna tantum accipi temporis duratione. Ita Deus Hebraeis promittebat, se iis daturum terram Chanaan, qua a diuturno tempore carent, *in possessionem aeternam* (Gen. *XVII.* 8.); ta ceremoniae legales dicuntur in aeternum duraturae (Ex. XII. 14. 24. XXVIII. 29. ac alibi saepe); quas tamen jam abrogatas esse, Christianorum ambigit nemo. II. Poenam inter, et culpam proportio esse debet, quae profecto esset nulla, si peccato, quod temporis momento patratur, aeternae poenae rependerentur. Et vero legimus (Apoc. XVIII. 7.): *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* III. Pauli doctrina poenarum aeternitati repugnat. Inquit enim (*I. ad Corint. XV. 12. seq.*) quod, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Christi itaque meritis ad vitam meliorem omnes revocandi sunt. Addit: *Novissima autem inimica destruetur mors:* quibus secundam mortem designavit, quae damnatorum propria est, ignisque poenam denotat (Apoc. XX. 6. 14.); haec vero enm in finem futura docet, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Unde ostenditur tam magnam esse Dei misericordiam, ut ejusdem omnes omnino esse participes aliquando debeant. Quid plura? Apocatastasim, sive restitutionem omnium in statum meliorem docuit Petrus (Act. III. 21.) de Christo Domino scribens: *Oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων.*

§. CCCCXLI.

Solvuntur. Æternitatis vocem in veteris testamenti libris pro diuturna temporis duratione non raro accipi fateor. Verumtamen quandonam sensu minus proprio intelligi debeat, ipsi sacri libri nobis aperiunt. Nempe, si quod uno loco aeternum dicitur, in altero habuisse finem legamus; aut saltem finem aliquando habiturum fore praenuntietur, ampliori tunc significatione *aeternitatis* nomen intelligendum est. Jamvero Judaeos ex terra Chanaan expulsos fuisse ipsi sacri libri nos edocent, ac legis Mosaicae ceremonias abrogandas fore Prophetae annuntiarunt (§. CCCCI.). At quum de aeternis impiorum poenis sermo instituitur, tantum abest, ut earumdem praenuntietur finis, ut potius iis circumvestiantur adjunctis; quibus ipsa Dei aeternitas nobis in sacris litteris exhibetur (§. CCCCXXXIX.). Proportio autem, quae peccatum inter et poenam adesse debet, temporis haud respicit diuturnitatem; sed inter magnitudinem peccati, ac poenae tota versatur. Ita secundum civiles leges, qui graviter, licet temporis momento, in Civitatem deliquit, ejusdem societate vel morte, vel perpetuo exilio privatur. Accedit his: offensam dignitati personae offensae commensurari; porro, quum peccatum Dei infiniti offensa sit, aeterna poena delicti proportionem minime excedit. Huc etiam pertinet, quod gravi delicto quis ab ultimo fine prorsus recedit, ac in creatis rebus constituit; itaque legibus aequitatis consentaneum est, ut qui a Deo recessit penitus, eodem in perpetuum careat; id vel eo magis, quod damnati voluntatem habent in malo obfirmatam, et odio perenni erga Deum exardescunt. Qua de causa in *Psalmis* legimus (Ps. LXXIII. 23.) *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; atque alibi (Apoc. XVI.), quod ii, in quos justa Dei ira se se manifestat, nomen Domini sint blasphematuri; hinc mirum non est, quod a Deo in aeternum puniri mereantur. Pauli frustra praesidium quaerunt Origenis asseclae. Quandoquidem de sola justorum vivificatione sermonem habet: de illa scilicet, in

qua Salvator locum Principem obtinet, sive ut Doctor gentium ait: *primitiae Christus*: de illa, in qua claritas, ac resurgentium gloria resplendet: de illa, in qua Christo *secundo homini caelesti* similes erimus: de illa quae ad eos pertinet: *qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt* (I. ad Corinth. XV. 23. et seq.). At vero impii Christi non erunt. Nam teste eodem Apostolo: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (ad Rom. VIII. 9.). Itaque vivificatio, de qua Paulus loquitur, ad omnes ac solos justos attinet. Mors etiam secunda, quantum ad solos justos destruetur; ii namque in gratia confirmati, a summo bono excidere amplius nequeunt, nec mortis secundae miserrimam conditionem experiri (Vid. Augustinum *lib. VI. op. imp.*). Post universalem autem corporum resurrectionem, Deus erit omnia in electis omnibus, eo quod bonis omnibus ac felicitate perpetua eos replebit, cumulabitque (Lib. XXII. de Civ. Dei cap. XXIX.). Apocatastasis tandem, sive omnium restitutio, quam Petrus commemorat, universalem resurrectionem designat, post quam Christus visibili in forma secundo adveniet judicaturus vivos et mortuos; at tantum abest, quod eo tempore reprobi omnes in gratiam recipiendi sint; quin immo audient sententiam: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.*

Scholion. Unde apparet hallucinatum fuisse Baelium asserentem, impios in inferno momento quolibet posse ad Deum converti. Nam praeter adducta jam argumenta, quibus assertionis hujus falsitas ostenditur, certum est, neminem tantas habere vires, ut sine auxilio Divinae gratiae sinceram suorum delictorum poenitentiam agat. Hac vero procul dubio impii carebunt; quandoquidem, si Deus hac adhuc in vita excaecatos ac obduratos peccatores nonnumquam deserit (§. CCIX.), quanto magis affirmandum est in altera vita, in qua non misericordiae, sed justitiae tempus est, Deum eos, qui eum deseruerunt, penitus deserere? Profecto ipse Salvator *Joann.* III. 36. super incredulum *iram Dei manere*, fidem facit, manente autem indigna-

tione Divina, damnatio maneat necesse est; immo cum magnum Chaos justos inter damnatosque firmatum sit, ita ut ab uno in alterum locum quis amplius pertransire nequeat *Lucae* XVI. 26. apparet reproborum in melius restitutionem futuram fore nullam.

§. CCCCXLII.

Lockius refutatur.

Lockius magni nominis Philosophus Apocatastasim omnium sive Daemonum, sive impiorum hominum nullo satis solido argumento defendi posse probe intelligens, Socinianorum doctrinae adhaesit (§. CCCCXXXIX. Sch.), eamque illustrare conatus est. Praecipuum suae sententiae robur ex iis depromebat saororum librorum testimoniis, quibus Damnatorum poenae nomine *mortis* (Apoc. XXI. 8.), *interitus* (ad Rom. IX. 22.), *perditionis* (Joan. XVII. 12.), designari solent. Jamvero, ajebat, quod moritur, interit, perit, illud finem habeat, ac in nihilum redigatur, necesse est. Verumtamen, si vir clarissimus perpauca haec ac subobscura testimonia, cum iis perspicuis, quae poenarum aeternitatem statuunt, comparasset, quam parum ponderis illa habeant, ipsemet perspexisset: at de objectis locis nonnulla dicamus. Mors secunda, de qua in Apocalypsi fit sermo, vitae finem non denotat, sed ingentes significat, quas infelices illi patientur, miserias ac calamitates. Sit Joannes sui ipsius interpres: *Pars*, inquit, *illorum erit in stagno ardenti, igne, et sulphure, haec est mors secunda.* Quid autem nomine *interitus* Doctor gentium significare voluerit, ipsemet explanat ajens (II. ad Thess. I. 9.): *poenas dabunt in interitu aeternas.* Quamobrem si poenae aeternae impiis manent, et quidem *in flamma ignis* ut paulo ante exposuerat (ib. ver. 8.): non erunt itaque damnati destruendi, ac in nihilum redigendi. Jamvero, cur mortis ac interitus vocibus impiorum poenas sacri libri describant, aperit nobis sapientissimus Augustinus (*Serm.* 306. *de Diversis*). *In cruciatibus, in tormentis, in ignibus sempiternis noluit appellare vitam, ut ipsum nomen vitae laudis sit, non maeroris. . . . Nam in tormentis esse semper, aeterna*

mors est, non aliqua vita. Multo minus nos urget vox *perditionis*; enimvero Scripturarum consuetudine dicitur Deus nationem integram perdere, quum severam de ea ultionem sumit: atque quotidiano usu affirmare solemus, virum moribus dissolutum se perdere, aut periisse. Immo Tiberius Imperator ad *Senatum* scribens, Tacito auctore, inquiebat: *ita me Dii Deaeque pejus perdant, quem perire quotidie sentio.* Quibus graves, unde afflictabatur, angores innuere volebat. Itaque mortis, interitus, ac perditionis nomine sacri libri impios in nihilum fore aliquando redigendos, haud significant.

Scholion. Si rem bene accipias, nomen mortis haud innuit, subjectum, cui illa competit, in nihilum redactum fuisse. In ipsa enim naturali hominis morte corpus quidem vivere cessat, et dissolvitur; at in nihilum non redigitur.

§. CCCCXLIII.

Poenarum aeternitatem agnoverunt, praedicaruntque celeberrimi Ecclesiae Patres. Quorum agmen ducat Justinus martyr, quem nonnulli Origenistis praelusisse, perperam dixerunt. *Cum omnium*, inquit (*Apol.* II.) *etiam qui umquam extitere mortalium corpora excitabit, atque dignos quidem induet natura corruptibilitatis experte, injustos autem in perpetuo sensu una cum malis geniis in ignem mittet sempiternum.* Consonant Theophilus (*ad Autolycum* lib. I.), Irenaeus (*lib. IV.* c. 47.), Tertullianus (*Apol.* c. 45.), Cyprianus (*lib. de mort. ad Demet.*), Ambrosius (*De bono mortis* c. 2.), Chrysostomus (*Hom. IX. in I. ad Cor.*), Hilarius (C. V. in Matt.), Cyrillus Hierosolymitanus (Catc. 18.), Basilius (*Serm. de fut. Judi.*), Augustinus, qui hanc de omnium in melius restitutione doctrinam, *vanissimam impietatem* (*lib. de Haer. ad Quodvult.* vocat. Hieronymus plura habet, quae veritatem hanc confirmant: *Prudens*, ait (in c. 25. Matt.) *lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habet minarum*: item (in c. III. Jonae), *quia hoc* (nempe futuram omnium sive Daemonum,

Æternitas poenarum ostenditur traditione.

sive impiorum apocatastasim) *Sancta Scriptura non dicit, et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia putantes etiam Diabolum, qui auctor malorum est. . . . . acta poenitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, et sciamus peccatores mitti in ignem aeternum, qui praeparatus est Diabolo et Angelis ejus, et de his dici, vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. . . . . Alioquin si omnes rationabiles creaturae aequales sunt. . . . . atque longo post circuitu, atque infinitis saeculis omnium rerum restitutio fiet. . . . quae distantia erit inter virginem, et Postribulam?. . . . Idemne erit Gabriel, et Daemones? idem Prophetae, et Pseudoprophetae? idem Martyres, et Persecutores? Finge quodlibet, annos et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Concludit S. Doctor contrariam sententiam esse *dogma perversum*, *et σύμφραγμα diabolicum.* Accedit his, Origenianam doctrinam damnatam fuisse a Theophylo Patriarcha in Synodo congregata ex Provinciis Aegypti, Lybiae, et Pentapolis (Vid. Vallarsium ed. op. *S. Hier.* coll. 537.), tum in quinta Generali Synodo (Vid. Nicephorum lib. 17. *hist.*), quod septima oecumenica laudavit, confirmavitque (*).

Scholion. Ex his manifestum fit, S. Hieronymum poenarum aeternitatem in omnibus damnatis agnovisse, atque si nonnulla habet in suis operibus, quae huic dogmati videntur contraria, id ex eo repetendum esse, quod ipse nonnumquam haereticorum recenseat dogmata, quin ea refellat, ut ex *Comment. in epist. ad Ephesios, et ex apologia adversus Rufinum* innotescit. Augustinus vero in

---

(*) *Act. I. Sanctae venerabilis*, ajunt, *quintae Synodi, quae Constantinopolim congregata est, communi, et universali submissi sunt anathemati Origenes et Theodorus Mopsuestiae, et ea quae ab Evagrio, et Didymo dicta sunt, de eo videlicet. . . . quod de restitutione in statum pristinum fatebantur.*

Ench. ad Laurentium c. 212. verba *Ps.* 76. *Non obliviscetur misereri Deus*, *aut continebit in ira misericordias suas*, ad electos pertinere affirmat. Quod si quis ad omnes referre velit: *Etiam sic quippe intelligi potest, manere in illis ira Dei*, *hoc est ipsa damnatio. . . . Hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas*, *non aeterno supplicio finem dando*, *sed levamen adhibendo*, *vel interponendo cruciatibus.* Quod ipsum versans de *Civ. Dei* lib. XXI. c. 24. n. 3. postea concludit: *Quod quidem non ideo confirmo*, *quia non resisto.* Confer L' Herminier *de peccatis*, Patuzzi *de futuro impiorum statu* lib. 3. Gervasio *de poenarum aeternitate.*

§. CCCCXLIV.

In dubium prudens ac sapiens nemo vertere potest, esse Deum omnipotentem, id enim admiranda creationis opera aperte demonstrant, tum infinite sapientem ac justum; certum non minus, humanam animam spiritalem esse, liberam, ac immortalem (§. CCCC. CCCCII. CC.). Jam vero justarum animarum felicitas, si aeterna non esset, haud censeretur perfecta: immo nec Deo dignum esse videretur, ut animas immortales, quae ipsum ardenter diligunt, ac sunt ipsius amore dignae, destrueret, ac in nihilum redigeret. Sed nec melius concipimus, quod Deus illorum animas, quae voluntarie ac libere Divinam legem violarunt, debeat destruere, quoniam hae non minus sunt ex sua constitutione immortales. Immortales, criminibus oppletae, odio Divino dignae, quaenam erit earum in aeternitate sors, nisi perpetuo infelix? Sed neque satis ratio nostra percipere valet, Deum judicem aequissimum absque vero ac sincero criminum patratorum dolore parcere velle. At enim poenitentia sincera in vita altera possibilis non videtur, quum ob poenarum magnitudinem, impii jam in malo obfirmati, in earumdem auctorem odio potius semper ferentur. Itaque aequissimus judex haud criminibus parcet, quae nec reparata sunt, nec possunt reparari. Quod si ad Religionis Christianae principia mentem convertamus, assertionis nostrae veritas elucescet ma-

Nec est contraria rationi.

gis. Quod enim ipsa proponit nobis, ad infinitum tendit. In Verbi incarnatione, quod Unigenitus Dei filius, factus est Legislator noster, sapientia resplendet, ac Misericordia infinita, in satisfactione, quam ipse pro peccatis nostris in cruce dedit, admiramur justitiam infinitam, noscimusque quanta esse debeat peccati gravitas (§. LX), si ad illud expiandum opus fuit pretio infinito. Religio nostra in cultu habet objectum infinitum, ipsum scilicet Deum; atque innititur tota infinitis meritis Christi. Virtutis, ac bonorum operum praemium Deus est ipse intuitive visus (§. CCCCXXVII.), nec Beatorum felicitas finem umquam habitura est (§. CCCCXXXII.). Quis itaque amplius mirabitur, si etiam impiorum poenae erunt quantum ad durationem infinitae? Nam si Religio haec sanctissima ostendit nobis Deum in sua sapientia, bonitate, in gratiis, ac praemiis infinitum; cur ipsa aeque infinitum non annuntiabit in sua severitate ac justitia? Itaque Christiana Religio proponendo nobis incarnationis mysterium, ejusdemque consectaria, nos edocet, ut Deum adoremus, qui pro salute nostra factus est homo; sed una monet, ut tremamus coram Deo, cujus justitia est necessario infinita, uti ipsius amor.

Scholion. Haec argumenta fusius pertractata sunt in encyclopaedia art. *peine*. Primum magis urget eos, qui *Spiritus fortes* vocantur; alterum egregie premit, quotquot e Christianis poenarum aeternitatem denegarunt. His adde, quod dogma hoc nostrum apud nationes omnes longe lateque pervagatum fuit. Nam Hebraei, Ægyptii, Persae, Graeci, Tartari, hanc veritatem agnoverunt. Vid. Huetium de *conc. fid. et rat.* lib. II. c. 24. nec hac notione caruerunt Brasiliani, Caraibae, Mexicani, Peruviani, Virginienses, Siamenses aliique barbari populi. Confer Francescati *princ. Relig. nat. et rev. tom.* 2. *c.* 6. §. *IV.*

§. CCCCXLV.

Difficultates nonnullae solvuntur.

Quam habemus de Deo notionem, ea infinite bonum, ac misericordem nobis eumdem exhibet. An bonitatem infinitam ac misericordiam ostenderet, si

pro culpa gravi poenis atrocibus, ac finem numquam habituris hominem puniret? immo crudelis potius Tyrannus esset, qui partem hominum maximam damnaret, et exquisitis suppliciis torqueret. Hinc etiam necessario consequeretur, quod plus ab illo timere, quam sperare deberemus; unus enim salvatur, mille autem pereunt: si lusus esset, in quo unicum adesset praemium, poenae autem essent mille, quis nisi stultus ludere vellet (*)? Poenarum itaque aeternitas cum sanae rationis principiis consistere minime potest. Attamen his etsi prima fronte gravissimis argumentis, necdum causam Spiritus fortes evicerunt. Quamobrem, quod attente ponderandum est, peccant in eo gravissime Increduli, quia attributum unum Dei ab aliis separant, quum tamen sejungi nec possint, nec debeant. Rem diligenter examinemus. Bonitas ac misericordia divina, est voluntas infinita bene faciendi, uti esse potest, ac debet in illo, qui eodem tempore infinite sapiens est, justus, ac sanctus. Quo fit, ut divina bene aliis faciendi voluntas a sapientia dirigi debeat, secus imbecillitas potius, quam bonitas esset: justitiam insuper habere debet comitem; alias pura putaque esset inordinationum omnium, ac vitiorum tolerantia; cum sanctitate est non minus unienda, cujus proprium objectum est, virtutem amare, vitiumque odio habere, et aversari. Jam vero Dei erga humanum genus bonitas ac misericordia quantum non fulget coruscatque! In creationis beneficio splendet illa, ac in variis pulcherrimisque naturae bonis unde nos cumulavit, splendet in sublimi fine, ad quem nos ordinavit, ac in mediis liberaliter concessis, unde illum consequi facile valemus: splendet quam maxime in dono Unigeniti filii sui, qui factus est legislator noster (§. LXXXIII.), Sponsor (§. LXVI.), Redemptor (§. LII.), splendet in luminibus, instructionibus, uberrimisque gratiis, quibus aperitur, ac sternitur nobis ad salutem via: splendet hac in vita, dum patientia summa nostra crimina sustinet, dum nos monet,

(*) In libello cui titulus, *militaris Philosophus* cui concinunt increduli reliqui.

ac ad poenitentiam invitat: splendet postremo in aeterno praemio, quod justis praeparavit, summaque liberalitate largitur. Sed, dicant increduli, debebitne adhuc in universali omnis inordinationis cunctarum abominationum ac scelerum tolerantia perpetuo fulgere? cordatus ac sapiens vir asseret nemo. Dei itaque bonitas ergo hominem se infiuite procul dubio manifestat; at si homo libertate donatus divina misericordia abutatur, eam negligat, spernatque; quis amplius mirabitur, si Deus justitiae suae, quae non minus, quam ipsius bonitas, infinita est, impium relinquat? Ex his percipiet facile quilibet, quantum hallucinentur ii, qui statutis aeternis poenis Deum crudelem tyrannum appellare audent. Et vero Tyrannus est, qui absque culpa punit, Deus vero aeternis poenis addicit neminem, qui gravi culpae obnoxius non sit, nec ipse vindictae spiritu, vel animi impotentis levitate, sed aequitate ac justitia poenas aeternas sancivit. Lusus autem, quem confingunt Iucreduli, pro iis tantum est, qui fato cuncta regi dicunt, qui Dei providentiam, animae immortalitatem, revelatam Religionem denegant: pro iis, qui legem divinam non curant, spernuntque: sed pro illis ludi exemplum non valet, qui Deum amant, venerantur, ac credunt, quod potens sit salutis nostrae depositum usque in finem conservare (Vid. II. ad Tim. I. 12.), non pro illis, qui Christi Domini promissionibus inhaerentes, vitam aeternam, quam rogantibus promisit, postulant; non pro illis, qui compertum habentes Christum pro nostra salute esse mortuum, in meritis ejusdem infinitis spem suam omnem reponunt: Inferni poenae haud dubie pro iis constitutae non sunt, qui Deum proponunt adjutorem sibi, qui suam legem pro norma ac regula, suam omnipotentem manum pro fulcro assumunt. Quamobrem ii soli plus timere habent, quam sperare, qui sua sponte, ac propria incuria in eo se collocant statu, quo suam aeternam salutem amittant.

§. CCCCXLVI.

Poenae, quas aeternas futuras fore diximus (§. CCCCXXXIX.), duplicis generis erunt, *damni* scilicet et *sensus*. Prima, quae in summi boni privatione perpetua, ac bonorum omnium quae in coelis sunt, carentia consistit, clarissimis sacrorum librorum oraculis constabilitur. Salvator in die judicii reprobis omnibus dicturus est: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* (§. CCCCXX.): item *discedite a me omnes operarii iniquitatis...... cum videritis Abraham et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras* (Luc. XIII. 27.) Paulus Corinthios monet (I. ad Cor. VI. 9.), *quia iniqui regnum Dei non possidebunt.* Hujus poenae gravitas tanta est, ut nulla ei possint, quemadmodum docet Augustinus (Ench., c. 112.), tormenta comparari; concinit Chrysostomus scribens (Hom. XXIII. in Matth. et XLVII. *ad pop. Antioch.*): *Novi, quia plurimi pertimescunt gehennam. Ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius dico esse, quam ipsius gehennae supplicium.* Augebitur autem non parum ex maximae Beatorum gloriae conspectu (Sap. V. 2. seq.), atque ex bonorum ac voluptatum, quibus hac in vita anhelabant, carentia. At huic gravissimae poenae alteram nempe sensus consociandam esse, dubium non est. Enimvero non tantum a Deo, Angelis, Beatisque separandi dicuntur, verum etiam in ignem aeternum mittendi, ubi vermis rodens erit (Marci IX. 43.), fletus et stridor dentium (Matt. XIII. 50.), tribulatio, et (ad Rom. II. 9.) luctus, clamor, dolor, angustia, cruciatus, quibus poenae omnes, unde animus, ac corpus cruciantur, graphice describuntur.

Tum damni, tum sensus.

Scholion. Quamobrem errarunt Jaquelotus *de convenientia fidei et rationis* p. 217. et Franciscus de Roches *defense du Christ. epist.* 37. *et* 38. qui solam forte boni aeterni privationem omnes damnatorum poenas absolvere dixerunt, aut saltem sensus poenam pro iis tantum, qui impietatis et crudelitatis monstra fuerunt, esse constitutam.

Quod si catholica fides tam acerbas, aeternasque poenas nobis annuntiat, dum tempus est, operemur bonum, torporem ac socordiam nostram aliquando excutiamus; recogitemus serio, quo malesana cupiditas ac noxiarum voluptatum amor certo nos trahet, si vitam divinis praeceptis haud consonam ducamus: perpendamus quam grave malum sit in manus Dei viventis, punientisque incidere. Hinc si in manu nostra electionem Deus posuit, ut ad gaudia aeterna vel tormenta perveniamus, quid amplius haesitamus? Quid in faciendo delectu haeremus? Deum O. M. enixe deprecemur, ut poenitentiae tempus nobis concedat, verum dolorem tribuat, gratia sua ita nos suffulciat, ut in bonis sanctisque operibus perseverando ad ipsum Deum facie ad faciem contemplandum, amandum, fruendum pervenire valeamus: ubi cum Angelis ac Beatis perpetuum ei laudis ac gratiarum actionis Sacrificium offeramus.

S. D. H. E. G.

FRANCISCUS
VERONIUS
DE REGULA
FIDEI CATHOLICÆ
SEU
DE FIDE CATHOLICA.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM

(*Quae praefigitur Editioni Lovaniensi, an. 1702.*)

En Opusculum de Fidei regula, primo ab eximio Viro Francisco Veronio editum, ac à Reverendissimis DD. Walemburgicis tanto postea in pretio habitum, ut hi in Fidei controversiis tam exercitati, hoc sibi deligere et adoptare maluerint, quam novum concinnare.

Sane fatendum est hanc regulam eruditam admodum esse et accuratam, in qua et singulari diligentia et exactissima cura discernuntur ea, quae Fide Catholica tenenda sunt ab iis, quae tantam in Ecclesia auctoritatem nondum meruerunt.

Ea itaque utere, Lector benevole, et ex illa disce Ecclesiae Fidem, quam contra haereticos propugnare debes. Disce pariter, quae sint dogmata, quae

hactenus non definivit Ecclesia. Sic haereticis viam sternes, ut ad Ecclesiae gremium redeant. Sic quoque componendis Filiorum Ecclesiae dissidiis utilem impendes operam, cum non tuae prudentiae inniteris, sed Ecclesiae Fidem praedicabis, ejusque in praedicanda Fide prudentiam zelumque aemulaberis, sequens vetus illud ac vulgare dictum: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

FRANCISCUS VERONIUS

DE REGULA FIDEI CATHOLICÆ SEU DE FIDE CATHOLICA.

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

Regula fidei.

Illud *omne et solum est de fide Catholica quod est revelatum in Verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesia Catholica, Fide divina credendum.* Neque refert, an illa propositio emanet ex Concilio aliquo universali, ex ejus decreto, et definitione; an ex sensu fidelium omnium.

Complectitur haec Regula Verbum Dei: nam *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* Complectitur et Ecclesiam docentem in Concilio Catholico, hoc est universali, expresse aliquid de-

finientem, aut enunciantem; vel ex sensu omnium tum Pastorum, tum fidelium velut practice eloquentem.

Et quidem *Fidei Catholicae* nomen utrumque hoc sonat. *Fides enim divina est*, *credere propter auctoritatem Dei revelantis*: in quam solam auctoritatem tota resolvitur. Propositio fit per Pastores a Christo constitutos, in Concilio universali congregatos, vel ex manifestato fidelium omnium sensu: nec enim aliter fieri potest, ut talibus credendis singuli fideles stringantur.

Catholicam Fidem diximus: quia saepius Theologi inter se, *an hoc vel illud sit Fide divina credendum*, illis affirmantibus, illis negantibus, digladiantur. Quo ipso consentiunt omnes, illi etiam, qui Fide divina illud esse credendum dicunt, *non esse Fide divina Catholica credendum*, *nec proinde haereticos*, *et ab Altari seu Ecclesiae communione amovendos*, *qui talia Fide credere respuerent*: de hac autem Fide divina, quae sit etiam *Catholica*, loquimur in praesenti, cum sola sit, de qua
Rom. 10. 10. Paulus: *Corde creditur ad justitiam*; *ore autem confessio fit ad salutem*. Sola, qua in sinu suo Ecclesia nos contineat, cujus solius professione devios in complexum admittat, denique tales solum articulos proponat ipsamet in sua professione Fidei, quam omnes, tum Catholici, tum reduces, *corde teneant*, et propalam ore pronuntient, exclusis a dicta professione doctrinis omnibus, de quibus decertent inter se Theologi, illis Fide credendas dicentibus, aliis negantibus.

Consentiunt omnes Synodi, Patres, Theologi in hac Regula statuenda: et semper habiti, et habentur haeretici (nec alii), qui contra sensum totius Ecclesiae, seu definitionem Concilii ejus universalis aliquid sentiunt in doctrina salutis: propriae nimirum electionis judicio adversus universitatem sese elevante, condemnati.

§. 2.

Declaratio Regulae.

Duo debent conjunctim adesse, quo doctrina aliqua sit Fidei Catholicae. Alterum, ut sit revelata a Deo, per Prophetas, Apostolos, seu Auctores Canonicos. Alterum, ut sit proposita ab Ecclesia. Si utrumque adsit alicui doctrinae, illa Fide divina Catholica est credenda: si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiae, non est Fide divina Catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur: quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus Sancti qui doceat eam, ducatque in omnem veritatem; haec nunquam, stante Dei promissione, quae semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. Potest tamen aliquid esse revelatum a Deo, etiam in verbo suo, obscure scilicet, quod nondum sit propositum ab Ecclesia: quia revelatum quidem est in Verbo Divino, sed quod interprete egeat, et necdum Ecclesia sensum Verbi Dei seu scripti, seu traditi, aperuerit, sicque nondum definierit, et proinde nondum proposuerit hoc, vel illud esse Fide credendum. Hinc novae saepe factae sunt in Conciliis, etiam universalibus, definitiones: v. g. Baptismum extra Ecclesiam collatum esse validum, nec iterandum: de quo S. Augustinus, lib. 1. contra Crescon. cap. 32. » Cum inter Episcopos » anterioris aetatis ista quaestio fluctuaret, et varias » haberet inter se collegarum, salva unitate, sen- » tentias, hoc per universam Catholicam (Nicoe- » num intelligit Concilium, can. 8.) quae toto » orbe diffunditur, observari placuit, quod tene- » mus ».

§. 3.

Deducta ex Regula declarata.

Cum nihil sit de Fide Catholica, nisi revelatum per Prophetas, Apostolos, et Auctores Canonicos,

sequitur: *Nihil esse de Fide Divina eorum omnium, quae novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum*, quibusvis etiam Sanctis, Ambrosio, Cypriano, seu aliis, antiquis illis, aut recentioribus, quarum myriades sunt in vitis Sanctorum, Catharinae Senensis, Birgittae, etc. etiamsi approbatae forent tales visiones a quibusdam Conciliis etiam universalibus, quales aliquae referentur in 2. Nicoeno, etc. Quia ista non sunt revelata Prophetis et Apostolis. Fides proinde, quae haberi potest ex iis humana est, quae penes auctores referentes est: nutans, probabilis; certa, aut improbabilis, pro qualitate referentium, et circumstantiis taliunı revelationum, pleraeque vel nutant, vel falsae sunt. Sed si credimus Fide humana Dioni, Suetonio et aliis profanis Historicis; cur parem saltem, vel majorem gravioribus Auctoribus non deferemus Fidem?

Sequitur insuper: *Nihil Fide divina credi ex ullo miraculo facto post tempora Apostolorum in confirmationem cujusvis doctrinae, nullumque horum miraculorum Fide divina esse necessario credendum*, etiamsi talia miracula referantur ab Augustino, Gregorio, et aliis, etiam ut visa ab ipsis, qualia pleraque refert Augustinus, lib. 22. de civit. Dei cap. 8. aut etsi contineantur in Bullis Summorum Pontificum Romanorum canonizationis Sanctorum, quarum plenae sunt dictae Bullae; aut etiamsi referantur in Conciliis universalibus, aut etiam approbentur, ut pleraque relata fuere in 2. Nicoena Synodo. Ratio eadem, quae superioris illationis; quia cum haec miracula facta non sint a Prophetis et Apostolis, proinde non sunt fundamentum de quo loquimur. Horum miraculorum plenae sunt vitae Sanctorum; quorum aliqua sunt falso relata, alia valde nutant: prioris generis multa sunt in vitis conscriptis a Voragine et Metaphraste, praesertim in vitis Georgii, Ursulae, eto. ut bene notat Bellarminus de Scriptor. Eccles. in Metaphraste, pag. 266. Baronius in Martyrologio ad eorum festa, et alii. Maxima pars, et fere omnia verissima sunt: et si historiis Suetonii fidem aliquam adhibemus, nec revocamus in dubium praelia varia, et

alia facta ab eo descripta, temerariusque censeretur, qui sine ratione haec negaret, majoris sane temeritatis arguendus foret, qui praedicta omnia miracula, relata a sanctissimis et gravissimis testibus, etiam ea, quibus interfuerunt, referentibus, ut pleraque refert Augustinus, negaret. Fides tamen horum omnium non excedit humanam: nec eis Fides Catholica, tanquam fundamento, innititur, nullaque doctrina tanquam Catholica creditur, ex ullo horum miraculorum. Confirmatur nihilominus his miraculis, quinimo revelationem aliquam continent. *Cum initium salus, seu Evangelium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Hebr. 2. 3. Et: *illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. 16. 20. Omne ergo miraculum, verbum quoddam Dei est: *impossibile autem est verbo ullo mentiri Deum.* Hebr. 6. 18. Eadem itaque certitudine aut probabilitate, qua novimus miraculum, novimus hinc dogma; quae notitia varia est, certa, probabilis, aut aliquando improbabilis, pro varietate Auctorum referentium, et modo visa, modo audita, qualiter referunt Augustinus, Gregorius, et alii. Doctrina fidei v. g. *Reliquias Sanctorum venerandas*, confirmatur certissime miraculis factis ad reliquias S. Stephani, relatis a S. Augustino, de civit. Dei, lib. 22. cap. 8. teste oculato: confirmatur solum probabiliter, eodem, et Gregorio audita ab aliis narrantibus. Improbabilia sunt pleraque quae refert Metaphrastes et de Voragine: talia nonnisi improbabilissime citantur ad firmandam Fidem. « Extant » acta Georgii (inquit censor justus Baronius in Mar- » tyr. 23. Aprilis) a Metaphraste edita; sed in » iis displicent, quae de Anathanasio Mago feruntur. Vidi ea etiam, quae Jacobus de Voragine » habet in legend. Sanct. quae non mediocri indigent castigatione, etc. » Et Bellarminus de Scriptor. Eccl. anno 850. « A Metaphraste scriptae » sunt historiae de vitis Sanctorum multis additis » ex proprio ingenio. Addit miracula plurima et

» maxima in eversione templorum et idolorum, et » in occisione persecutorum, quorum nulla est » mentio apud veteres Historicos. » Sed qualemcumque habeant haec miracula certitudinem, nullam Fidei doctrinam fundare possunt, quia *non sunt revelationes factae Prophetis et Apostolis*; adde, quod nec ut plurimum proponuntur ab Ecclesia universali, cui soli promissa est assistentia Spiritus Sancti, ne erret. Fidem ergo solam humanam, seu assensum solum humanum merentur, ob qualitatem referentium, quae fallibilis, et pure humana est; longe itaque abest, ut talis assensus sit Fidei Divinae Catholicae, de qua sola loquimur.

An vero assensus hi, ob revelationes privatas, extra revelationes factas Prophetis et Apostolis contentas in Verbo Dei, et propositas ab Ecclesia universali, sint assensus supernaturales et divini, et Fidei divinae, quia videntur fieri ob auctoritatem divinam revelantem, licet non constantem per Verbum Dei scriptum aut traditum, nec per auctoritatem Ecclesiae universalis proponentis, sed per scripta humana; et ex propositione hominum fallibilium referentium: alia est quaestio problematica inter Theologos, et proinde longe a doctrina Fidei, de qua loquimur. Probabilius censemus, talem assensum non esse divinum, sed pure humanum; quia resolvitur in pure humanam auctoritatem particularem horum, vel illorum Historicorum, quae omnia sunt humana: proinde talis fides non est Theologica, et longe longius non est Catholica.

Tertio sequitur. *Nullam Doctrinam fundatam in Verbo Dei, seu Scriptura diversimode exposita a Sanctis Patribus, aut Doctoribus nostris, esse doctrinam Fidei.* Idque ex duplici defectu. Primo, quia non constat esse revelatam: omnis autem actus Fidei debet esse certus ex revelatione. Secundo, nec proponitur talis expositio, seu sensus ille Scripturae, ab universali Ecclesia, hoc ipso quod varie a variis exponatur. Ubi tamen observandum, quod quando sancti Patres explicant varia loca Scripturae, et eamdem veritatem alii ex illo sacrae Scripturae textu eruunt, alii ex alio; ipsorum consensum non tantum unanimem esse acceptandum Ecclesiae; sed etiam ut fundatum in Scriptura, licet

non ut fundatum in hoc, vel illo particulari loco Scripturae.

Quarto sequitur: *Nullam consequentiam certo licet, et evidenter deductam ex Propositione aliqua Fidei, et alia evidenti lumine naturae, per formam Logices evidentem, sufficientem esse fundato Fidei Catholicae articulo*; *seu nullam doctrinam, quae constet solum tali consequentia, esse doctrinam Fidei Catolicae.* Idque ex duplici etiam defectu. Primo, quia non est revelata; *Fides* autem est *ex auditu, auditus per Verbum Dei*: Nec addente. *Et per consequentiam deductam evidenter ex Verbo Dei.* Cumque consequens contineatur *virtualiter* in praemissis, non erit doctrina nisi *virtualiter de Fide*, neutiquam *formaliter*: id est, solum ejus principium erit doctrina Fidei, ex quo humanus intellectus doctrinam aliquam consequentem deducet et formabit, cui assentietur. Certa quidem et evidens erit consequentia, sed humanis multis concurrentibus, forma argumenti, propositione Philosophica saepe mixta: nec tamen conclusio deducitur ex illis, nisi junctis; immo ista nonnisi juncta influunt; quare nihil sequitur ex separatis. Causa igitur, qua tota, humana est; quam ergo longe abest, ut doctrina elicita sit divina! *Conclusionem* vocamus in Scholis *Theologicam*, si praemissae sint certae: aut *doctrinam aliquam problematicam*, si aliqua sit incerta, quod saepius in subselliis videre est Theologicis: *falsa*, si aliqua propositio, vel argumenti forma falsa sit, quod non raro contigit, respectu tot placitorum, in quibus Theologi digladiantur. Sed quod notandum diligentissime est: certum est, varias esse sententias tum Doctorum Catholicorum, tum Protestantium: *An quod sic sequitur ex Scriptura sit de Fide?* Catholicorum Doctorum alii asserunt, Vega, Canus; alii negant, etiam referente Daillaeo. Distinguunt alii docentque; Si ex duabus propositionibus Scripturae deducatur consequentia, illam esse de Fide, neutiquam si ex una, et alia evidenti lumine naturae. Alio modo distinguit Vasquez, assensum conclusionis illius, qua deducitur ex praemissis, non esse Fidei, qui tamen medio discursu, velut instrumento, aut potius proponente, splendet doctrina

In Fide fundata, cap. 13. *pag.* 68. 1. *p. d.* 12. *a.* 3. *c.* 2.

divina virtualiter contenta in praemissis, esse assensum Fidei. Sic inter nostrates *certum est*, *problematicum solum esse*, *an quod sequitur de Fide*, *sit de Fide*. Consentiunt ergo omnes, *non esse de Fide Catholica*, id est, non esse talem doctrinam, cui omnes sub poena haereseos teneantur assentiri tanquam de Fide; et si quis contrarium diceret, Novator ipse valde culpandus foret, novum dogma ingerens, et oppositum sentientes damnans in hoc ipso ipsemet temeritatis in re gravissima damnandus, et censura Ecclesiastica percelleudus. *Constans itaque est*, *doctrinam talem neutiquam esse doctrinam Fidei Catholicae*, de qua loquimur. Protestantium pariter, alii negant, quod sequitur per consequentiam evidentem deductam ex Scriptura esse de Fide; Osiander, Kemnitius, et nobiliores Lutherani, etiam referente Vedelio, in suo *Rationali Theologico*. Sed Vedelius affirmat, et quidem pugnacissime: quia totum suum Rationale in eo solo versatur; et post ipsum seu ex ipso Daillaeus: licet alii Reformati cum Lutheranis et Catholicis faciant. Verum nullum hac de re verbum in ipsorum confessione habetur, proinde haec ipsa doctrina censeri nequit doctrina partis Calvinisticae. Adde, quod Lutheranos contrarium tenentes in fratres cooptarunt: quomodo ergo doctrinam hanc, ut fundamentalem omnium controversiarum ponunt? Sane fundamento hoc nutante, quam infirma aut nutans debet esse eorum doctrina de controversiis omnibus! Alter defectus est. 2. Quod proposita non sit illa doctrina Ecclesiae universali, uti apud Catholicos constat: quia neque invenitur in Scriptura expressa, neque in Generalibus Conciliis; et ideo Doctores libere diversum tenent: quousque enim veritas non auctoritative proponitur, non est obligatio acceptandi eam velut divina auctoritate revelatam. Nec etiam auctoritas publica, sive Protestantium in communi, sive Reformatorum, illam quaestionem, quam nonnulli volunt fundamentalem, in ulla Confessione, juxta dicta, determinavit. Concludamus ergo, doctrinam talem *non esse doctrinam Fidei Catholicae.*

In Fide fundat. part. 1. pag. 28.

§. 4.

Connexa ex defectu propositionis, et quandoque simul revelationis, secluduntur.

I. Sequitur: *Decretum Gratiani*, seu ejus auctoritatem longe longius abesse, quod possit fundare articulum Fidei: sed nihil esse de Fide, qua continetur in illo decreto. Quod notandum contra calumnias frequentes Molinaei, *Contenta in illo decreto, doctrinam esse Ecclesiae Catholicae*, ingerentis; quo materiam nos impugnandi aucupetur. Sed nunquid Religiosus ille tota est Ecclesia universalis? Nec Gregorius XIII, aut alius Papa, multo minus Concilium ullum universale ita Decretum probavit, quasi contenta in illo forent totius Ecclesiae definitiones. Immo non leves in illo lapsus facile depreheudere est in citatione falsa auctorum, etc. Quin ipsemet Gratianus initio Decreti, Dist. 1. cap. 2. producit *Isidorum in libris Etymologiarum*: Tituli ipsi, Dist. 1. cap. 8. 10. habent, *Quid sit Jus Civile*, *Quid militare*, *Quid leges Tribunitiae*? Nunquid ista sunt doctrinae Fidei? Glossarum quam multae erant ridiculae? Proinde succisae. Quid ergo Gregorius XIII. jussit, *Jus Canonicum expurgatum*, ut fuit ipsius jussu, non imprimi *sic expurgatum*, *et prout Romae impressum fuit*; *nec alibi imprimi ad decennium*, etc.

II. Sequitur: *Nullae Decretales Romanorum Pontificum contentae in corpore Juris Canonici*, sive in sex libris Decretalium, sive in Clementinis, sive in Extravagantibus, nullae Bullae posteriorum, qui in sede Petri sederunt, sufficientes sunt *fundando articulo Fidei Catholicae*: seu nulla doctrina est de Fide, quae continetur in istis Decretalibus aut diplomatibus. Probatur, quia Papa quocumque modo loquens, etiam ex Cathedra, non est universalis Ecclesia; ergo quod ab eo proponitur, non proponitur ab Ecclesia universali; ergo non est doctrina Fidei Catholicae. Addo, Conclusionem hanc tam certam esse inter Doctores omnes, ut si quis contrarium doceret, Novator ipse foret, et Censura percellendus, quippe novi dogmatis inventor. Patet ex ipso

Bellarmino, qui lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 2. ubi tres inter Catholicos opiniones refert. « 1. Opinio est, inquit, Pontificem etiam ut Pontificem » posse esse haereticum, et docere haeresim, si » absque generali Concilio definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem secuti sunt » aliquot Parisienses, ut Gerson et Almain in libris » de Potest. Eccl. necnon Alphonsus de Castro, » lib. 1. cap. 2. contra haereses, et Adrianus VI. » Papa in quaestione de Confirmatione; qui omnes » non in Pontifice, sed in Ecclesia, sive in Concilio Generali tantum, constituunt infallibilitatem » judicii in rebus Fidei. 2. Opinio est in alio extremo; Pontificem non posse ullo modo esse haereticum, nec docere publice haeresim, etiamsi » solus rem aliquam definiat. Ita Pighius, lib. 4. » Hierar. cap. 8. 3. Opinio est quodammodo in » medio; Pontificem, sive haereticus esse possit » sive non, non posse ullo modo definire aliquid » haereticum a tota Ecclesia credendum. Haec est » communissima opinio fere omnium Catholicorum, » B. Thomae, Cajetani, etc. 1. Opinio non est » proprie haeretica (nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur) » tamen videtur omnino erronea et haeresi proxima. » 2. Probabilis est, non tamen certa. 3. Certissima » est, et asserenda. » Haec Bellarminus, quem fuse sic citavimus, quo calumnias elueremus, qua nonnulli viri traducuntur, quod dicant: *quae definita forent a Pontifice, etiam ex cathedra, extra Concilium generale, non esse Fidei Catholicae.* Et iterum illud ita asseritur, ut statuatur illud esse certum ex omnium Doctorum, Bellarmini etiam, et aliorum sententia. Constat enim ex Bellarmino, primam opinionem *non esse haereticam.* Non assentimur Bellarmino dicenti; *videri erroneam*, *et haeresi proximam*; quamquam hoc ipsum nonnisi nutans dicit termino illo *videtur.* Non enim omnibus id videtur; quibus Gersonem, Almainum, et Adrianum *erroneae, et haeresi proxime opinionis insimulare* temerarium potius videtur. Sed ex Bellarmino ipsomet constat, *non esse definitum ab Ecclesia*, *Pontificem esse infallibilem*, extra Concilium uni-

versale, et quae proponeret credenda, fore Fidei *Catholicae.* Consentiunt itaque ex ipsomet Bellarmino Doctores omnes, *doctrinam illam non esse Fidei Catholicae*; quod solum dixi, et certissimum est: quod non advertunt praecipiti judicio calumniatores. Quam ex iis tribus primis opinionibus sequeremur, extra rem nostram fuisset; et foret pronunciare (libenter tamen tertiae adhaeremus, sed, absque censura primae). qui devios ad Fidem *Catholicam*, semota omni alia doctrina, reducere contendimus. Non itaque dicimus, *sic definita non esse de Fide*, quod putant adversi, sed solum dicimus, et repetimus, *non esse de Fide Catholica*, seu non esse doctrinam; quam omnes, quo sint Catholici, tenere debeant, *tanquam de Fide*, *cujusque contrarium sit haereticum*, et removens a gremio Ecclesiae. Omnes nihilominus concedunt, gravis esse auctoritatis, quod a Pontifice tantae Sedis docetur, etiam cum solo concilio privato, et privatim solum rescribente aliquot Episcopis; gravioris; quod cum concilio Provinciali: gravissimae, quod ex cathedra, toti Ecclesiae illud proponendo, sive cum concilio privato, sive in concilio Provinciali, temerariumque est, a sic pronunciatis discedere. Maturius ergo procedant hi censores; quorum censura censuram meretur, quippe inductiva novi dogmatis, tanquam Fide Catholica credendi, quod nemo hucusque statuit, scilicet, *quod a Pontifice foret, etiam ex cathedra definitum, extra Concilium universale esse de Fide Catholica*, seu tale definitum esse Fide *Catholica*, et sub peccato haereseos ab omnibus credendum. Hallucinati sunt, et caecutiendo in errorem prolapsi; quamquam non tam error, quam hallucinatio vocanda sit praeceps haec censura: putarunt multos dixisse, quod nec somniarunt.

Sed ad rem, seu ad *Decretales Juris Canonici*, propius. Sane nec ipse Bellarminus, et erroris aliquot Decretales arguere veretur. Nam in lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 12. cum retulisset *Magdeburgenses*, *Cent. 8. cap. 10. in vita Gregorii III.* eum accusantes: « Quod in Epistola ad Bonifacium, » permiserit viro ducere aliam uxorem, si propter » morbum aliquem uxor ei debitum conjugale red-

» dere non valeat, quod est expresse contra Evan-
» gelium, ut etiam annotavit Gratianus 32. q. 7.
» canone, *quod proposuisti*, respondet; posset e-
» tiam dici, Pontificem ex ignorantia lapsum esse:
» quod posse Pontificibus accidere, non negamus,
» cum non definiunt aliquid tanquam de Fide, sed
» solum opinionem suam aliis declarant, ut hoc
» loco videtur Gregorius fecisse. » Quae solutio applicata variis decretalibus, longe illas a vi fundandi articulum Fidei abducit, scilicet respondendo passim, si premamur talibus, *Pontificem non definivisse illa tanquam de Fide, sed solum opinionem suam aliis declarasse*, quod sine dubio insufficiens est fundandae doctrinae Fidei, multo minus fundandae Fidei *Catholicae*. Placet adhuc propius Decretales illas evolvere. Maxima earum pars versatur in regulandis Officialis seu Judicis in Episcopali Tribunali sedentis judiciis: varia in collatione Beneficiorum observanda praescribunt, ex quibus Officiales debent lites terminare. Quid haec ad articulos Fidei? Non sunt haec materia propria Fidei. Pleraeque etiam, et fere omnes, responsa sunt particularibus data, non toti Ecclesiae, in quibus responsionibus particularibus concedunt omnes, Papam posse errare, nec talia responsa fundandae doctrinae Fidei, multo minus *Catholicae* esse sufficientia. Sed ut tot responsa decretalium seu Pontificum Romanorum lites multiplicant, ita responsum nostrum generale multiplices sopit controversias, quas agglomerant Adversarii modo ex Gratiano, et modo ex Decretalibus, Bullisque Pontificum, seu Jure Canonico, varias consarcinando, et saepe easdem falso glossantes; quae obtrudunt nobis tanquam doctrinam nostrae Fidei *Catholicae*, et impugnant; compingunt inde libros suos: Nostrates etiam saepe suos his defendendis. Compendiosior via, et regia, reducendis ad castra Catholica deviis est, propalam inclamare, *nihil horum esse de fide Catholica*; proinde nihil horum esse in professione Fidei nostrae, quam subscribendam solum reducendis deviis proponimus.

III. Sequitur: *Non est de Fide Catholica, quod definitum foret in ullo Concilio Provinciali, etiam*

Papa ei praesidente per se, vel per legatos. Ratio est; quia tale Concilium non est Ecclesia universalis; quare quod ab eo proponitur ab Ecclesia universali; non est ergo de Fide *Catholica*: nisi aliunde sensus totius Ecclesiae constaret, sicut constat de multis pronunciatis contra Pelagium et alios in Conciliis Regionariis, ut vocat Augustinus, v. g. in Concilio Milevitano Numidiae sub Innocentio Papa, tomo 1. Concil. pag. 630. 753. etc. 2. Probatur ex illo Bellarmini jam relato, referente tres opiniones inter Catholicos, quarum 1. est: « Pontificem, inquit, etiam ut Pontificem posse esse » haereticum, et docere haeresim, si absque Concilio Generali definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson, Almain, necnon Castro et » Adrianus, qui omnes non in Pontifice, sed in » Ecclesia, sive in Concilio Generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de rebus Fidei. » Vide jam supra dicta. Magna tamen veneratione suscipienda sunt, quae a tantae auctoritatis Decretis seu Romani Pontificis, seu talium Conciliorum, manant. Item ea quae miraculis, aut praedictis revelationibus, fidis tamen, nituntur seu confirmantur.

IV. *Non omnes praxes Ecclesiae, etiam universalis, sunt sufficientes fundando articulo Fidei Catholicae.* Probatur ex defectu 2. conditionis: quia praxes hae non sunt propositiones factae ab Ecclesia veritatis alicujus credendae, sed rei faciendae: Regula autem praxeos bonae, potest esse opinio probabilis, et non indubitata; unde fit etiam, ut praxes has posset mutare Ecclesia, quippe quae regulari possunt ex opinione probabili, quam sequi, vel contrariam etiam probabilem, licitum est. 2. Probatur ex Vasquez, 3. part. disp. 227. cap. 3. ubi cum docuisset et probasset: « Sacrificium Missae suapte natura, institutione divi- » na seu Christi, pro non baptizatis offerri non » posse, nec unquam potuisse, sive illi Catechu- » meni sint, sive omnino infideles, pagani, aut » Judaei, tametsi publicae orationes pro eis fieri » possint, prout Ecclesia permiserit, objeceritque

» sibi, aliquando id factum in Ecclesia, sacrificium » pro ipsis Catechumenis offerri consuevisse » *probassetque ex libro qui dicitur*, Ordo Romanus, c. 20. post primam suam responsionem objectioni addit : « Caeterum respondere quis posset. Quod attinet ad essentiam et substantiam Sacramentorum, » Ecclesiam semper eam doctrinam dictis et factis » probasse, quae certa et indubitata est : at vero » quod attinet ad alia accidentaria, non omnino » indubitatam sed probabilem opinionem aliquando » in praxi secutam, aliquid fecisse, tametsi non » tanquam certum dogma Fidei declaraverit; et » hac de causa tunc ex praescripto Romani Pontificis, Missam pro Catechumenis obtulisse, nunc » autem eam non offerre; cum neque publica oratio ulla pro illis permanserit, nisi in die Parasceves, quando nullum in Ecclesia sacrificium » offertur. *Et paulo post*: Quid igitur mirum si » antiquitus Ecclesia secuta probabilem opinionem » de oblatione hujus sacrificii pro Catechumenis, » pro illis Missam celebraverit, nunc autem nullam offerre? *Adde his*: Decreta Conciliorum, » inquit bene Bellarm. lib. 2. de Conciliis, cap. » 17. non indigent approbatione populi, cum ab » eo non accipiant auctoritatem, Decreta vero de » moribus si non recipiantur, et Pontifex connivеat, tandem consuetudine abrogantur, quia Decreta morum mutabilia sunt, et cum Pontifex » videt longo tempore ea non servari, et tacet, » censetur ipse abrogare. At Decreta de Fide immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari, » posteaquam semel statuta sunt. *Verissimum quidem est illud Augustini Ep.* 118. Si quod tota » per orbem frequentat Ecclesia, hinc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae » est : » Sed non inde sequitur, Ecclesiam per talem praxim proponere tanquam credendum de Fide Catholica aliquod dogma : sufficit praxim esse bonam, cui bonitati satis est, quod fundetur in opinione probabili; hinc, ut jam notatum, tot praxes suas etiam universales Ecclesia mutare potest, Praxes enim sunt variabiles, utpote praecepta, nullo

autem modo dogmata Fidei variari possunt, quippe veritas invariabilis est.

V. « Ea, *inquit bene Vasquez*, 1. 2. *disp.* 200. » *cap.* 6. quae tradit Concilium in capitibus, esse » Fidem Catholicam necessario credendam, colli- » gitur ex fine cujusque sessionis, antequam Cano- » nes ponantur. *Et 3. part. disput.* 207. *cap.* 3. » Quidquid in capitibus traditur ante Canones a » Concilio pertinens ad doctrinam, est Catholica » fides; constat ex Trid. Sess. 13. cap. 8. in fine, » *immediate post capita, et ante Canones, ubi di-* » *citur:* Quoniam autem non est satis veritatem di- » cere, nisi detegantur et refellantur errores, pla- » cuit sanctae Synodo hos Canones subjungere, ut » omnes jam agnita Catholica doctrina (*nempe* » *illuc usque tradita*) intelligant quoque, quae ab » illis haereses caveri vitarique debeant. *Et Sess.* » *sexta similiter post capita et ante Canones*: Post » hanc Catholicam de justificatione doctrinam, pla- » cuit sanctae Synodo hos Canones subjungere, ut » omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, » sed etiam quid vitare et fugere debeant. » Ratio hujus rei est, quia tam in capitibus, quam in canonibus, propositiones Ecclesiae, quid credendum, quid damnandum, continetur. Addit ibidem Vasquez: «Quamvis interdum Ecclesia prohibere soleat » disputationem de aliqua re, quam nondum tan- » quam dogma Fidei definivit, ut quod quis dam- » net, aut aliquo modo notet propositionem aliquam, » vel e contrario dicat esse probabilem, tamen nun- » quam hactenus damnavit sub excommunicationis » poena eos, qui aliquid pertinaciter et absolute » asseruerint, nisi eo id damnet tanquam errorem » contra Fidem, et oppositum, ut Catholicam Fi- » dem definiat, ita ut haereticus sit, qui talem » errorem pertinaciter asseruerit; pertinaciter autem » illud asserere, nihil aliud est, quam post prae- » dictam definitionem id scienter affirmare. *Adden-* » *dum tamen ex eodem, eadem 3. parte, disput.* » *181. cap. 9.* Aliquando Ecclesia suam definitio- » nem confirmat testimoniis, ex quibus aliqua non » efficaciter eam probant. » *Subjungit nihilominus, et bene*: « Tamen quando Patres in Concilio di-

» cunt, ex hoc aut illo loco, hanc aut illam veritatem Ecclesiam collegisse et colligere, quis, » obsecro, fundamentum illud infirmum et incertum esse dicere audeat? » Ita Vasquez. Unde generaliter dicimus, eorum quae continentur in capitibus, id solum et totum esse de Fide, quod definitur, seu (ut loquuntur Juristae) solum dispositivum arresti seu contenti in capite aut canone est de fide, motivum vero arresti, seu ejus probationes, non sunt de Fide. Ratio est, quia primum solum proponitur credendum, et proprie definitur, non autem motivum seu probatio. Hinc plurima continentur in Conciliis etiam universalibus, quae non sunt de Fide, scilicet, quod in eo est obiter dictum, multo minus, quod in Sessionibus a variis Praelatis dum sententias dicunt, prolatum; multo adhuc minus quae a Doctoribus in discussionem rei definiendae praemittuntur, aut allegantur. Ratio generalis est, quia nihil eorum definitur ab Ecclesia.

VI. Quod proximum huic est, ut sit aliquid de Fide, oportet ex Bellar. lib. 2. de Conc. cap. 17. adducere: « Concilium rem eam definivisse proprie, » ut decretum Fide Catholica tenendum. *Hinc addit*: Non sunt proprie haeretici qui sentiunt Pontificem non esse supra omnia Concilia, *licet* » *dicat*, Lateranense ultimum Concilium sub Leone » X. diserte et ex professo docuit, Pontificem esse » supra omnia Concilia, et reprobavit contrarium » Decretum editum in Concilio Basiliensi; Quod, » *inquit ille*, Concilium Lateranense rem istam non » definiverit proprie, ut Decretum Fide Catholica » tenendum, dubium est, et ideo non sunt proprie » haeretici, qui contrarium sentiunt. » 2. Requirit idem Bellarminus cap. 11. esse definitum « conciliariter. Martinus V. *inquit*, dixit se confirmare » tantum ea decreta de Fide, quae facta erant in » Concilio Constantiensi conciliariter, id est, more » aliorum Conciliorum, re diligenter examinata. » Constat autem hoc Decretum » (scilicet Constantiense, Sess. 4. Concilium Generale habere a Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiam si Papalis dignitatis existat) « sine » ullo examine factum a Concilio Constantiensi. Ita-

» que Martinus cum confirmavit Decreta de Fide » conciliariter conclusa, intelligebat tantum de damnatione haeresum Wicleffi et Huss. »

VII. Idem Bellarminus, tomo 1. lib. 1. de Clericis, cap. 28. cum objecisset sibi, *caput* quanquam, de censib. in 6. « Ubi Bonifacius Papa » VIII. dicit, jure humano et divino liberos esse » Clericos ab exactionibus, *Respondet*, dicendum » fuisse Bonifacium in sententia Canonistarum, et » sententiam illam suam aperuisse, non autem aliquid definivisse. Nam non loquitur per modum » definientis rem controversam, sed simpliciter et » obiter id asserit; ait enim; » Cum jure divino sint immunes Clerici, etc. Idem dicere possumus de iis omnibus, quae Concilia etiam universalia dicunt *obiter*, et non per modum definientis.

VIII. Objectum debet esse definibile de Fide v. g. Bellarminus idem, lib. 4. de Rom. Pontifice, cap. 41. concedit errasse *Joannem XXII. in extravaganti, ad conditorem de verbor. significat.* cum docuit, *non posse separari usum a dominio in rebus usu consumptibilibus*; *sed non in re Fidei*, inquit: haec enim quaestio ad fidem non pertinet. Similiter itaque doctrinae, legum aut Philosophiae studia spectantes, non sunt definibiles de Fide.

IX. Debet esse Decretum universale, propositum toti Ecclesiae. Dicimus, ait Bellarminus, eodem lib. 4. cap. 5. « non posse errare Pontificem (seu » Concilium generale) in iis praeceptis, quae toti » Ecclesiae praescribuntur. Quia in praeceptis, et » judiciis particularibus, non est absurdum, Pon- » tificem (aut Concilium generale) errare. » Et cap. 14. cum sibi objecisset, « Innocentium VIII. » Norvegis permisisse, ut sine vino sacrificium ce- » lebrarent; *solvit sic*, sed facile responderi potest; » nam non condidit ipse Decretum, quo universae » Ecclesiae declaravit licere, sine vino sacrificium » offerre. » Itaque si erravit, erravit facto, non dogmate. Idem est de Conciliis generalibus.

X. Bellarminus idem cap. 12. cum sibi objecisset « Stephanum Papam ordinatos a *praedecessore* » *suo* Formoso, jussisse iterum ordinari, proinde » sensisse Sacramentum pendere a virtute ministri,

» qui est error in Fide manifestus, *Solvit sic*: Respondeo errasse Stephanum, sed in quaestione facti, non juris, et malo exemplo, non falsa doctrina. *Et paulo post*: Respondeo Stephanum non edidisse aliquod decretum, quo decerneret ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim a Formoso, tanquam degradato esse iterum ordinandos; sed solum de facto jussisse iterum eos ordinari. Quae jussio non ex ignorantia aut haeresi, sed ex odio in Formosum procedebat. » Idem potest dici de Conciliis, si casus similis contingeret.

XI. Ex eodem ibidem cap. 5. « Non est erroneum dicere Pontificem (seu Concilium Generale) posse errare in legibus, quae non versantur in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis; nimirum superfluam legem condendo, vel minus discretam, etc. Atque ut rem totam exemplis declaremus, non potest fieri ut Pontifex (seu potius Concilium Generale) erret, praecipiendo aliquod vitium, ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia haec sunt per se bona vel mala; nec potest fieri ut erret praecipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem vel Sabbatum; vel prohibendo aliquid necessarium ad salutem, ut Baptismum et Eucharistiam, licet haec non sint per se bona aut mala. Ut autem jubeat aliquid, quod non est bonum neque malum ex se, neque contra salutem, sed tamen est inutile, vel sub poena nimis gravi illud praecipiat, non est absurdum dicere, posse fieri: quamquam non est subditorum de hac re dubitare, sed simpliciter obedire. »

XII. Ex eodem cap. 2. « Conveniunt omnes Catholici posse Pontificem etiam ut Pontificem, et cum suo coetu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione, testimoniisque hominum praecipue pendent: » Juxta quod, cap. 11. cum objecisset sibi vulgare illud *de Honorio* Papa relato inter haereticos a VI. Synodo generali, respondissetque, *corruptam fuisse VI. Synodum*, addit: « Quod si aliquis non possit adduci, ut credat

» corruptam esse VI. Synodum, is accipiat alte» ram solutionem, quae est Joannis a Turrecrem. » lib. 2. de Eccl. cap. 93. qui docet, Patres VI. » Synodi damuasse quidem Honorium, sed ex falsa » informatione, ac proinde in eo judicio errasse. » Quamvis enim generale Concilium legitimum non » possit errare, ut neque erravit hoc VI. in dog» matibus Fidei definiendis, tamen errare potest in » quaestionibus de facto. Itaque tuto dicere possu» mus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, » et non intellectis Honorii epistolis, immerito cum » haereticis connumerasse Honorium. » Idem ibidem Bellarminus addit. « Patres VII. Synodi secutos » esse Synodum VI. et solum repetivisse quod in » ea legerant, proinde deceptos fuisse ex VI. Sy» nodo, quae vel corrupta erat, vel per errorem » Honorium damnaverat. *Idem addit de* Adriano » Papa: Si dicamus acta VI. Synodi esse corru» pta, respondendum est, Adrianum deceptum » fuisse ex depravatis illis actis VI. Synodi. »

XIII. Addamus et istud ex Suario, Tom. 4. disput. 56 de Indulgentiis, sect. 3. « Quamvis Pon» tifex expresse declaret in Indulgentiarum dispen» satione se moveri propter talem causam, quam » reputat sufficientem ad tantam Indulgentiam con» cedendam, non esset infallibile, vel causam esse » talem, vel (quod consequens est) totam Indul» gentiam esse validam. Quia talis declaratio Pon» tificis non est de doctrina ad fidem pertinente, » sed de quodam facto particulari, quod ad pru» dentiam spectat, in qua Pontifex non habet in» fallibilem assistentiam Spiritus Sancti, sed in his » tantum, quae ad doctrinam Fidei, et morum » spectant, juxta illud Luc. 22. 32. » *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* (*ut nec* » in dispensatione voti simili voto) quamvis Pon» tifex existimet aut declaret talem causam subesse, » nihilominus decipi potest; quia quoad hoc pru» dentia et existimatione humana gubernatur; pos» setque etiam humano affectu moveri. » Quae ratio probat idem pariter in Concilio generali dicendum esse. Optima sane est haec Suarii regula. Ex qua etiam longe longius abest esse *de Fide*, hanc

vel illam excommunicationem esse validam. Addit tamen ibidem Suarez et bene ; « Nunquam tamen » existimo expedire , immo nec posse absque scan» dalo et imprudentia fieri , ut aliqua Indulgentia » particularis , quam constat esse a Pontifice con» cessam , publice denuncietur esse nulla aut super» flua : quia id moraliter loquendo est inutile , et » contra reverentiam Pontifici debitam , etc. » Similiter obediendum legibus et praeceptis , etiam sub excommunicatione latis , et qui non obediret , peccaret et incurreret excommunicationem , licet in iis ferendis possit errare Pontifex eo modo quo diximus, nec sit proinde de Fide , non errare ; quia alia est regula Fidei , quae *infallibilis* debet esse , et est ; alia regula Legum , ad quas ferendas ut obligent , haec *infallibilitas* non requiritur : sola sufficit auctoritas in praecipiente rem quam judicat esse bonam, etc. Immo probabile ad hoc judicium sufficit , juxta ea , quae sunt relata ex Vasquez : et generaliter deferendum esse plurimum in omnibus , superiorum tum judicio , tum voluntati , cuivis cordato et prudenti constat ratione ipsa naturali hoc dictante , cumprimis vero ipsa Scriptura Sacra , Matth. 18. 17. Hebr. 13. 17. etc. Attamen , cum instituti nostri sit solum devios a Fide Catholica ad illam reducere , haud nobis est in his enucleandis immorandum. Solam secretionem doctrinae Fidei a quavis alia instituimus faciendam.

CAPUT. II.

Secretio doctrinae Fidei a quavis alia in particularibus materiis controversis.

En Regulae generales secretionis exactae faciendae doctrinae Fidei Catholicae a Theologia Scholastica et quavis alia doctrina. Jam ex ea secernamus in singulis materiis , *quid sit de Fide*, praesertim *Catholica*; et quid non sit tali Fide credendum. Quidquid sit, cui sit in singulis materiis inter opiniones Scholasticas potius assentiendum , quid etiam certo moraliter tenendum , utpote non utcumque

probabile, sed tanquam ex communi doctrina ratum, aut cui tanquam conclusioni Theologicae sit inhaerendum; nihil enim horum moramur, qui solummodo devium a Fide Catholica ad illam reducere conamur; reliquis omissis, quae miscenda non sunt, ne difficiliorem devio reddamus reditum, tacere de his praestat. Quin et si devius petat de talibus, quod frequenter faciunt, sensum nostrum, satius est illis respondere; Ecclesiam nihil in his quae petit respondisse: magistram illam nos sequi, non praeire: nihil horum contineri in Professione Fidei Catholicae, cujus solius assensum et subscriptionem ab eo requirimus, quo illum in Ecclesiae Catholicae membrum cooptemus: Paulum monere, *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. 12. 3. Postquam fuerit cooptatus in Ecclesiam, nos ei, si curiosus Scholasticorum fuerit, sensa varia pansuros: si nolit, nihil horum unquam dicturos, sine quibus et sanctus, et salvus esse potest: interim his non implicet animum, ne multitudine, aut varietate, aut subtilitate implicetur, obruatur: relinquat haec Theologorum subselliis, in quibus aliquot annos sedere, opus est doctrinis his extra fidem enodandis. Ergo ad singula descendamus *ad amussim et regulam praeceptam F. dei expendenda et secernenda.* Deductio haec clara et evidens sufficeret cuilibet materiae applicata: fulcimus tamen applicationem hanc, vel singula de quibus pronunciabimus, *non esse de Fide*, Doctorum aliquot auctoritate, ne temerarii alicui, qui quae non novit, facile damnat, saltem in aliquibus materiis videamur, aut ne quis carpat, vel aliis insusurret, aut palam blateret.

§. I.

De meritis gratiae et gloriae.

De meritis Concilium Tridentinum habet, sess. 6. can. 32. (» Si quis dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu

Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, anathema sit. ») *Et can.* 26. (» Si quis dixerit, justos non debere bonis operibus, quae in Deo fuerint facta expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque ad finem perseveraverint, anathema sit. ») En quid cavendum sub poena anathematis, tanquam haereticum. Sed et en, quid ex regula nostra Fide Catholica sit credendum de meritis, scilicet, quia est propositum a Concilio universali omnibus credendum.

Ex qua a contrario sequitur, non esse de Fide Catholica, nec dari meritum de congruo. 2. nec dari de condigno. 3. nec merita esse ex justitia, potius quam ex fidelitate. 4. multo minus dari ex justitiae rigore. Probatur, quia nihil horum est in Concilio Tridentino, nec in ullo Concilio generali propositum. Probatur 2. quia non omnes Doctores hoc tenent, referente ipsomet Bellarmino : (» Quale sit meritum, tres sunt quaestiones, inquit ille. Tom. 3. cont. lib. 5. de Justificat. cap. 16.) ». Una, sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex congruo. Altera, sitne condignum ratione promissionis tantum, an etiam ratione operis. 3. Num Deus remuneret opera justorum supra condignum, et impiorum citra condignum. Quod attinet ad primam quaestionem, Catholici omnes agnoscunt opera bona justorum esse meritoria vitae aeternae; sed tamen aliqui censent, non esse utendum his verbis, *de condigno et congruo*, sed absolute dicendum, opera bona justorum esse meritoria vitae aeternae ex gratia Dei. Ita docet Thomas Waldensis, etc. Alii volunt opera bona justorum esse de condigno largo modo, ita ut hoc condignum respectu condigni proprie sumpti, possit dici congruum. Ita docent Durandus et Gregorius, etc. Communis autem sententia Theologorum admittit simpliciter meritum de condigno. Durandi sententia, si nihil aliud vellet, nisi merita nostra non esse ex condigno,

sive ex justitia absolute, sed tantum ex hypothesi, id est, posita liberali Dei promissione, non esset reprobanda. Caeterum videtur omnino velle, merita nostra ex gratia Dei procedentia, et posita promissione, adhuc non esse talia, ut ex justitia debeantur meriti, sed ex sola Dei liberalitate. *Et cap.* 17. Altera quaestio sequitur; Utrum opera bona sint meritoria ex condigno, ratione pacti tantum, an ratione operis tantum, an ratione utriusque. Non desunt qui censeant, opera bona esse meritoria vitae aeternae ex condigno ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio. Ita docent Cajetanus, Soto, etc. Alii contra existimant, bona opera ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti et acceptationis divinae. Ita docet Scotus et alii, etc. Distat autem haec opinio longissime ab haeresi Lutheranorum; non enim Scotus censet, opera bona non esse vere bona, sed peccata, si ad legem divinam examinentur, ut Lutherani censent. Sed existimat, opera justorum esse bona vere et proprie, sed non tam excellentia, ut proportionem habeant cum vita aeterna, et ideo acceptari quidem a Deo ad justam et dictam mercedem vitae aeternae, sed ex pacto et promissione, non ex operis dignitate. Nobis media sententia probabilior esse videtur, quae docet, opera bona justorum meritoria esse vitae aeternae, ex condigno ratione pacti et operis simul; non quidem quod sine pacto vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam aeternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamvis par et aequale mercedi, nisi conventio intercedat, etc. *Et cap.* 19. Postrema restat quaestio. Num Deus bona opera remuneret, ex mera liberalitate supra condignum. Communis enim Theologorum sententia id constanter affirmat, etc. Contrarium docuit Vega. Probatur breviter, Deum remunerare ultra vel supra condignum, etc. Utrum autem operibus malis Deus poenam reddat citra condignum non videtur ita esse certum, etc. *Haec Bellarm. et Vasquez* 1. 2. *disp.* 213. *cap.* 3. Tametsi scholastici omnes et Ca-

tholici scribentes contra haereticos hujus temporis, aperte pronunoient, operibus justorum inesse rationem meriti vitae aeternae; nihilominus cum agitur de ratione meriti simpliciter aut meriti condigni vitae aeternae, variant inter se. Et sane B. Thom. *art.* 1. *quaest.* 114. affirmat nostri apud Deum non esse meritum simpliciter. Ratio vero illius est, quia ubi non est simpliciter justitia, neque simpliciter aequalitas, non potest esse meritum simpliciter; nostri autem ad Deum non est justitia, neque aequalitas simpliciter; ergo neque nostri apud Deum erit meritum simpliciter. In eadem sententia videtur esse Durandus, ubi docet, nostris operibus in gratia factis non inesse rationem meriti simpliciter et proprie. Addit praeterea Durandus, merita nostra apud Deum non esse condigna mercede gloriae, sed ea dumtaxat ratione dici meritoria, quia Deus lege et ordinatione sua postulat opera nostra, ut ipsam gloriam tribuat. Affirmat, id quod redditur ex promissione, non reddi meritis condignis, inter gloriam et opera meritoria justorum non esse aequalitatem condignitatis, adhuc instar illius, quae est inter semen et fructum ejus. Quocirca concludit, merita justorum comparatione vitae aeternae, solum esse merita congrua, tametsi dicat meritum, quod justi habent vitae aeternae, medium esse inter meritum congruum existentis in peccato, et meritum simpliciter condignum, quod est ex justitia, et ita partim dici posse meritum congruum, partim meritum condignum. *Et disp.* 214. *etiam in titulis capitum sic habet*: Opera justorum ex se sine pacto et acceptione Dei, condigna non esse vitae aeternae, non pauci Catholici docuerunt: *cap.* 1. opera justorum aliquam ex se dignitatem, magnam autem ex meritis et gratia Christi habere, alii etiam Catholici existimarunt: *cap.* 2. Opera justorum ex se habere totam dignitatem, rationem tamen meriti in ipsis ex promissione compleri, recentiores alii Theologi autumant. „ (*Et disp.* 215. quid ipse sentit promens) „ Nos, inquit, qui diximus, inter Deum et nos non posse esse justitiam proprie, sed communi quadam ratione, non nos tribuimus Deo obligationem dandi gloriam in remunerationem bo-

norum operum ex justitia accepti, quasi ipse compensare debeat ex justitia bona opera quae a nobis accepit; sed dicimus ex solo promissionis verbo, ac proinde ex sola fidelitate debere dare vitam aeternam in remunerationem operum; quare si eam non daret (quod fieri nequit) esset quidem infidelis, quia non servaret veritatem propositionis; non tamen injustus proprie, quia non faceret contra justitiam proprie, diceretur nihilominus injustus, quatenus fidelitas est justitia quaedam, nempe pars potestativa justitiae, et ita infidelitas haec, communicatione injustitia dici potest. « Haec Vasquez. Nihil ergo supra dictorum, de Fide, sed Scholastica sunt varia placita, et opiniones diversae, cum Doctorum Catholicorum in hac re nutent sensus.

Facile doctrinae Fidei de meritis suscribent Adversi, si haec a Fide semoveamus. Subscripsit Mestrezatius, tract. *de gratia*, *contra praetensa merita*, p. 25. („ Agnoscimus, inquit, bona opera esso Deo grata, eaque obtinere vitam aeternam, et solum volumus, quod eam obtinent ex benignitate, gratia, bonitate, et misericordia Dei: et sic nomen meriti et merendi, sensu quem ex latina habet. „) En ergo Mestrezatius Catholicus in doctrina *Fidei de meritis.*

II. Sequitur nec esse de Fide, *omnia bona opera justorum esse aeternae vitae meritoria*; *seu quaenam in specie opera mereantur gloriam*, *an opera temperantiae*, *spei*, *fidei*, *et alia praeter charitatem.* Quia Tridentinum non proponit talia opera in specie mereri, ut patet. 2. Probatur, quia in hoc ipso Doctores variant, referentibus iisdem Bellarmino, et aliis. Vasquez, loco citato, *disp.* 217. *cap.* 1. („ Inter Scholasticos, *inquit*, in controversia positum est, utrum sola charitate, et bonis operibus a charitate imperatis, an quocumque opere bono, etiamsi a charitate non imperetur, justi mereantur aeternam vitam. Prior sententia est, quid per sola bona opera, quae procedunt ex imperio charitatis mereatur homo justus aeternam vitam. Quam sententiam tradiderunt Scotus, Gabriel, Durandus, etc.) (*Bellarminus ipse hanc sententiam sequitur*, *lib.* 5. *de justif. cap.* 15.) („ mihi vero, *inquit cap.* 2., semper visum est, quodlibet

opus hominis justi bonum, et secundum virtutem moralem, meritorium esse vitae aeternae. Hanc sententiam tradit Bonaventura, Capreolus, Sotus. ,,)

Quam longe ergo absumus a Deviorum communi calumnia, Catholicos ponere perfectionem in jejuniis, coelibatu, votis Monasticis, etc. non in charitate; cum nec de Fide sit, prima opera esse meritoria vitae aeternae, nisi a charitate imperentur · et quam facile, Scholasticis istis semotis, Fidei nostrae doctrinae subscribent? Mestrezatius ostendit meritum vitae aeternae agnoscere in operibus lib. de grat. ac toto illo libro agnoscit id in omnibus operibus bonis, nullaque eorum distinctione. Credit ergo plus quam oportet credere, quo sit Catholicus.

III. Sequitur, *non esse de Fide, justum posse mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem de congruo, nec conversionem peccatoris, nec aliam gratiam.* Probatur 1. quia Tridentinum *meriti pro aliis* non meminit, nec proinde proponit credendum. 2. Quia variant in hac re Doctorum opiniones Catholicorum. Certum quidem istud est: (,, Gratia adoptionis, inquit bene Vasquez, 3. *parte, disp.* 4. *cap.* 5., quae nunc communicatur purae creaturae suapte natura solum est principium merendi condigne vitam aeternam, et incrementum sui ipsius habenti illam, nec est principium condigne merendi alteri primam justificationem ex minimo gradu, nec minimum auxilium gratiae ad illam: ob quam causam Apostoli, nec Beata Virgo, qui habitualem justitiam et gratiam adoptionis in gradu perfecto habuerunt, non fuerunt condigne promeriti alicui minimum auxilium gratiae. Non alia ratio fuit, nisi quia gratia habitualis solum est principium merendi tale genus praemii, nempe gratiae et gloriae, illudque sibi et non aliis, quantumvis augeatur, semper enim manet ejusdem naturae. ,,) Proprium id Christi est. Et Suarez, tom. 4. disp. 48. sect. 2. refert. cum approbatione; (,, Meritum gratiae aut gloriae ita est personale, ut nemo possit alteri suum meritum praestare, ut alteri valeat ad gloriam obtinendam, et sit quasi praemium illius mercedis, sed illud pretium esse debet proprium personale opus, quia per illud solum fit homo dignus vita aeterna. ,,) Hoc certissimum est. (,, Dicamus igitur, *conclu-*

dit bene Vasquez loco citato, gratiam adoptionis solum esse principium meriti et semen gloriae ei qui illam habet et incrementi sui ipsius, non autem condigne merendi alteri gratiae auxilia aut justificationem. Ac proinde unam puram creaturam non potuisse pro aliis condigne et perfecte satisfacere. ,,) Solius enim Christi id proprium est, quare *ad eum finem necessarium* fuit Christi Incarnatio. Sed utrum de congruo possit aliquis mereri pro alio, dico, *id non esse de Fide.* Probatur 1. quia Tridentinum id non proponit. Jam dixi, aliquibus Theologis meritum illum dici *de congruo*, ne quidem pro se, multo minus pro alio. 3. Quae dicemus de satisfactione, istud etiam probabunt, quia satisfactio est per modum meriti: et Tridentinum eodem modo loquitur de merito et satisfactione.

Si tamen bene intelligatur, quid nomine *meriti de congruo* significent Doctores, tale meritum non potest rejici nec pro alio, ne quidem a Protestantibus. Quia, (,, idem dicimus, docet bene Vasquez, 3. part. q. 94. art. 1. dub. 4.) meritum de congruo, quod impetratorium meritum, quod de congruo dici solet; meritum de congruo illud est, quod impetrat illud cujus est meritum: meritum congruum in sola impetratione consistit. ,,). At quis ignorat, orationem impetrare a Deo pro se et aliis multa bona, et avertere multa mala? In formula ipsa precum Deviorum nostrorum tempore pestis habetur, tunc exhortandum populum *precari Deum ad impetrandam miserationem*, et cur orarent pro aliis, et pro tot generibus hominum, singulis diebus Dominicis publice ex formula, nisi *impetraturos* se sperarent? en *meritum de congruo.* Sed et satis constat, *bonis operibus* diversis fideles *bona spiritualia et temporalia* pro se et pro aliis *obtinere a Deo*, seu ejus misericordia. Quod ad reliqua, probabilius esse censemus opera mereri de condigno, condignitate orta partim ex opere ipso, partim ex promissione, nec sola opera charitatis, sed et reliqua manantia ab homine justo, esse meritoria vitae aeternae.

§. 2.

De Justificatione.

Tridentinum sic habet, sess. 6. can. 11. (« Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per spiritum Sanctum diffundatur, *Rom. 5. 5.* atque illis inhaereat: aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. *Et can. 10.* Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit. ») En quid rejiciendum ut haereticum, et proinde quid credendum de Fide, quod etiam fusius explicatur, cap. 7. quia propositum per Concilium universale.

Unde etiam sequitur a contrario, *non esse de Fide*, *justitiam hanc inhaerentem esse habitualem*, seu quod *justitia nobis inhaerens*, *qua justificamur*, *ut forma sit habitus aliquis.* Probatur 1. quia de hac re nihil habet Tridentinum, nec aliud Concilium universale. Probatur 2. (» In controversia positum est, inquit Vasquez, 1. 2. disp. 203 cap. 2. utrum Ecclesia definierit, vel ad fidem Catholicam pertineat, justitiam qua impii justificantur, esse qualitatem et habitum permanentem in anima, an aeque bene fieri posset justificatio, per affectum dilectionis erga Deum, et contritionis de peccato, et omnia, quae de justitia nostra in Scriptura, et Conciliis, atque a Patribus dicuntur, recte constare possent, si aliquis diceret, justitiam inhaerentem esse affectum dilectionis erga Deum, et contritionem de peccato. In qua controversia Vega, et postea recentiores aliqui existimarunt, jam esse ab Ecclesia definitum homines justificari per qualitatem et habitum permanentem; et ea quae de justitia nostra ab Ecclesia dicuntur, in solam qualitatem permanentem et habitum convenire. Probabilis tamen sententia mihi visa est, *inquit cap. 3.* hactenus ab Ecclesia definitum non esse adultum extra Sacramentum solo habitu justificari. ») *Et titulus ipse capitis habet*; (« Hactenus definitum non esse, utrum solo habitu justi-

ficentur adulti extra Sacramentum, Scholasticorum auctoritate probatur. *Et paulo post*; Expresse dicitur, definitum hactenus non esse, justitiam nobis inhaerentem habitum esse. Ita Sotus et Canus; atque ideo dicunt Concilium Trid. sess. 6. cap. 7. dum definivit inesse justificatis formalem justitiam ipsis intrinsecam, data opera abstinuisse a nomine habitus, ne de habitu aliquid definiret; ac proinde ejus definitione declaratum solum fuisse, justificari hominem non favore et justitia aliena, tanquam forma, sed justitia inhaerente: huc enim institutum Concilii spectabat, ut contra haereticos ostenderet, homines justificari non extrinseca justitia, ut illi dicebant, sed intrinseca sibi et inhaerente. Et Stapleton dicit, non esse minutissime sibi discutiendum, quid sit illud proprie et praecise quo nobis inhaerente formaliter primum justificamur, vel justi manemus, nempe utrum sint habitus certarum virtutum infusi a Deo, et fixi in nobis manentes: an vero non habitus infusi, sed motiones tantum animae rectae et continuae. Alias etiam quaestiones, quas ibi proponit, discutere non curat; inter quas alia similis est, utrum justitia, qua sumus formaliter justi, sit ipsa observatio legis ex Fide facta, et operatio virtutum; an sit novitas intus operans? Reddit autem rationem, quod sint quaestiones Scholasticae potius, quam hodie controversiae cum haereticis; ac proinde de illis nihil in alteram partem Ecclesia olim, aut nunc demum in Concilio Tridentino definierit. Subdit deinde; nam quod unumquemque suam justitiam in se recipere secundum mensuram, quae etiam singulis inhaeret propter dona infusa, Patres Concilii docent, illud in quacumque praedictarum opinionum sententia aliquo modo verificari potest. *Quin et cap. 6. dicit idem Vasquez*: Ecclesia expresse non declaravit parvulorum justificationem, et eorum, qui virtute Sacramenti, cum sola attritione justificantur, fieri per habitum, sed in universum solum definivit, omnem justificationem fieri per inhaerentem justitiam. *Habet tamen et recte, cap. 2.* Communis et vera Theologorum sententia est homines justificari, non solum creata justitia ipsis inhaerente, verum etiam hanc justitiam, et sanctitatem esse qualitatem permanentem in ani-

ma, quam communiter habitum appellamus. *Quin et habet*, *cap. 6.* Ex definitione Tridentini aperta ratione colligitur, parvulos et adultos, qui virtute Sacramenti remissionem peccatorum consequuntur, solo habitu, et qualitate permanente justificari, ac proinde hanc sententiam ad Fidem Catholicam ita pertinere, ut sine errore negari nequeat, *non tamen* sine haeresi, *ex nostra Regula.* »).

Ex quibus patet, qui est fructus secretionis hujus nostrae, vix jam esse controversiam de Fide inter nos et Protestantes in hac materia. Et cap. 10. generaliter: (« Secundum communem et veram Scholasticorum sententiam, concedendus est habitus gratiae justificantis in omnibus qui justificantur, licet id de Fide hactenus non sit definitum: concesso autem hoc habitu, multo melius est tribuere ipsi justificationem et emundationem a peccato, quam actui, ut in omnibus eodem modo justificatio fiat: si quidem in parvulis, et in iis qui virtute Sacramenti justificantur, habitus gratiae necessario concedendus est, ut c. 6. probavimus »). Ita Vasquez.

(« Justitia inhaerens, *dicit Mestrezatius libello de gratia*, *cap. 35.* id est, renovatio animarum in sanctitate virtutibus Christianis, locum tenet in salute nostra. *Et pag. 42.* Justitiam inhaerentem Deus non imputat, sed producit in nobis. *Et pag. 37.* Quantum ad spiritum novi Adam, derivatur in nos per regenerationem, sicut corruptio habitualis Adami derivatur in nos per generationem naturalem ») Agnoscit ergo justitiam inhaerentem; est ergo Catholicus: quin et agnoscit esse *habitualem*, quod inter nos non est adhuc de Fide. Et manet solum quaestio de nomine (« Si sumatur terminus justificationis, *inquit Molin.* *in Eras. pag. 49.* in sensu, quo adversarii nostri accipiunt, pro regeneratione et sanctificatione; falsum est nos dicere, solam fidem justificare; nam Christianus regeneratur per omnes virtutes Christianas. ») En ergo etiam Molinaeus Catholicus. En hallucinationem causam dissidii. En secretionem nostram causam concordiae.

§. 3.

De satisfactione.

I. (« Si quis dixerit, *inquit Concil. Trident. sess. 14. can. 13.* pro peccatis quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, neque sponte susceptis, et jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, anathema sit. *Et can. 14.* Si quis dixerit satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit. ») En quod damnant sub anathemate.

II. En proinde doctrina Fide Catholica tenenda, quia, proponitur a Concilio universali.

Sed a contrario sensu 1. *non esse de Fide*, sicut de meritis dictum est; *An satisfactiones sint de congruo, vel de condigno; an ex dignitate sola operis, an ex promissione, an ex utroque; an ex justitia, vel etiam ejus rigore, an ex sola fidelitate Dei?* Probatur 1. Quia Tridentinum nihil de his habet. 2. Quia variant Doctores. *Ledesma et Durandus docent. hominem satisfacere pro paena ex benevolentia Dei acceptantis illam satisfactionem*, referente Vasquez, 3. p. q. 94. art. 1. dub. 3.

III. *Nec hanc fieri per opera, nisi per opera charitatis*, aut *jejuniis* quidem, *orationibus, eleemosynis, etc.* sed dummodo a charitate sint imperata. Probatur 1. Quia Tridentinum nihil de hoc habet, sive canone allato, sive alio. 2. Quia nutant opiniones Doctorum. *Henricus significat imperium charitatis esse necessarium,* refert Suarez, de poenit. disp. 37. sect. 3.

IV. *Non est de Fide, justum posse satisfacere pro alio.* Probatur 1. Quia Tridentinum id non proponit seu docet. 2. Suarez, Tom. 4. disp. 48. sect. 2. cujus titulus est. (« Utrum unus possit alteri suffragari pro illo satisfaciendo, seu poenam illi debitam persolvendo. Sententia, *inquit*, quorumdam

modernorum Theologorum est, non posse unum fidelem alteri suffragium ferre pro illo satisfaciendo, et solvendo poenam debitam, sed solum impetrando ac merendo de congruo, ut Deus remittat talem poenam, sive immediate gratis illam condonando propter orationes alterius, sive dando aliquod auxilium, propter easdem orationes, quo bene operetur ad ejusmodi remissionem obtinendam. Fundamentum hujus sententiae est; Quia debitum poenae est debitum personale, quod per actionem vel passionem propriae personae solvendum est, et ideo non potest per alium solvi, quia non potest unus ita donare alteri actionem suam, vel passionem, ut illius propria efficiatur. Propter peccatum fit aliquis dignus poena in seipso, non in alio; ergo contrahit debitum persolvendum per actionem vel passionem propriae personae, non alterius. 2. Quia hoc debitum poenae tale est, ut contrahi non possit per opus alienum, sed per proprium; ergo etiam e contrario solutio hujus debiti non potest fieri per alienum opus, sed per proprium. 3. Aliunde vero omnia, quae adduci solent ex Scriptura, ad summum probant, fideles posse se mutuo juvare orando et impetrando. Atque ex hac sententia infertur, etiamsi unus justus pro alio offerat opera sua satisfactoria, ut illi obtineat remissionem poenae temporalis, et de facto illam impetret, nihilominus aeque satisfacere illa opera pro peccatis propriis, quia non se privat fructu propriae satisfactionis; cum enim per poenam pro alio non solvat, consequens est, ut pro se solvat. Sicut justus, quando orat pro alio, aut bene operatur, ut alter impetret auxilium gratiae, vel aliud bonum, non minus meretur sibi de condigno vitam aeternam, quam si nihil alteri mereretur de congruo remissionem poenae, nihilominus pro se se aequaliter satisfacit de condigno, ac si nihil alteri impetraret. »)

Tribus his generaliter elucidandis et comprobandis, adde duo singularia in hac materia. Primum ex Vasquez, 3. part. de poenit. q. 94. art. 1. dub. 4. *a paena* peccatis debita post culpam dimissam, non liberamur nisi per satisfactionem, non per satispassionem, et illa habet apud Deum rationem meriti.

Unde infert, *Deus postulat satisfactionem, ut poenam condonet; haec autem cum sit per modum meriti, nunquam habet effectum nisi sit in homine justo*: seu homo existens in peccato mortali; non potest satisfacere pro tali poena: *quare haec opera extra charitatem facta non sunt meritoria, nec satisfactoria.* Secundum est ex Suario, loco supra citato, Disp. 48. sect. 2. (» In hujusmodi *praemiis*, *inquit*, vel poenis taxandis, nihil potest ex sola rei natura desumi, sed necessaria est supremi legislatoris institutio, qui potuit unam tantum poenam purgatorii praecise ac definite pro peccato remisso praescribere, et tunc nullus posset in hac vita pro tali poena, etiam per propria opera, satisfacere; tamen etiam potuit non ita definite poenam taxare, sed quasi alternative, vel talem purgatorii poenam vel aliam condignam et moraliter aequivalentem hujus vitae; atque ita de facto facit ex virtute quam justi habent ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ita ergo nunc dicimus potuisse Deum disjunctionem illam ita extendere, ut debeat homo tantam poenam in purgatorio sustinere, vel in hac vita pro illa satisfacere, aut per se, aut per amicos suos, interveniente ex parte satisfacientis voluntaria oblatione suae poenalitatis pro alio; et quantum est ex parte divinae legis sufficienter illi satisfit. ») Haec Suarez generaliter de satisfactione. Qui licet addat de 1. illa sententia relata: *Hanc sententiam censeo esse falsam, et valde novam in Theologia, ideoque omnino vitandam in materia adeo gravi*; non audet tamen dicere, *esse contra*-Fidem multo minus *contra Fidem Catholicam.* Imo ingenue fatetur, *hujusmodi fuisse divinam institutionem* (quod unus pro alio satisfaciat) *non possumus ratione ostendere, cum hoc pendeat ex divina voluntate, nec etiam habemus testimonium Scripturae, quo id sufficienter convincamus*: nam *quae supra adduximus*, de intercessione per modum impetrationis, *et meriti de congruo, possent in rigore declarari.* Quin et probabiliter dictae sententiae statuendae, sufficere videtur auctoritas *Theologorum* illorum *modernorum* quos allegat idem, sect. 3. (« Difficultas est, an haec satisfactio unius pro alio, ita sit de justitia, et de condigno; sicut pro seipso.

1. Sententia est, hanc satisfactionem, non esse de condigno ex justitia, sed ex libera acceptatione ipsius Dei; quae potest etiam fundari in aliqua congruitate ex parte offerentis satisfactionem suam; non tamen propterea acceptatio erit infallibilis, etiamsi a justo et pro justo offeratur. Ita Medina et Corduba. 1. Quia nunquam tenetur judex satisfactionem per alium acceptare, etiamsi alia fortasse aequalis sit, sed jus habet puniendi ipsammet personam. 2. Quia nec Scriptura Sacra, nec traditione constat, eam legem seu promissionem factam esse, *scilicet acceptandi satisfactionem pro alio.* 3. Quia sicut mereri, ita et satisfacere de condigno pro alio, censetur esse proprium Christi Domini.

V. *Longius etiam abest a doctrina et certitudine Fidei, viventem posse satisfacere pro mortuis, nisi orando, et per modum suffragii.* Patet, quia non habetur in Tridentino, aut alio Concilio universali. 2. Quia variant in hac parte Doctorum sententiae 1. (« Sententia, inquit Suarez, *sect. 6.* est satisfactionem pro animabus purgatorii solum esse ex misericordia. Ita tenet Cajetanus, Canus, Soto, etc. Idem a fortiori tenent Medina et Corduba, cum idem dicant: de satisfactione unius viventis pro alio propria et unica ratio esse debet, quia de hoc nulla extat promissio, aut pactum divinum; cujus signum esse potest, quia Ecclesia et Sancti orant Deum, ut acceptet haec suffragia pro defunctis; ergo signum est, non esse opus justitiae, sed misericordiae. Item colligi potest ex eo, quod animae in purgatorio existentes jam sunt extra forum Ecclesiasticum, et pertinent tantum ad forum Dei. Cum ergo etiam inter viventes incertum sit, an tale pactum vel promissio intercedat, verisimilius est respectu defunctorum nullum esse: maxime, cum nullo sufficienti testimonio, et ratione ostendi possit. *Et infra:* Ob hanc causam tam de nostris satisfactionibus, quam de Indulgentiis Ecclesiae solet dici, prodesse animabus purgatorii per modum suffragii, per quam locutionem aliqui putant excludi infallibilem applicationem ad acceptationem ex justitia. *Et paulo post:* Si est infallibile, necesse est ut intercedat divina lex et promissio, quia in nullo alio potest illa infallibilitas fundari. »)

VI. Sequitur *nec esse de Fide*, *Thesaurum Ecclesiae*, *ut vocant*, *satisfactionem sanctorum* (nec proinde, ut dicetur postea, Indulgentias, quae dantur vivis seu defunctis) dari *per distributionem hujus Thesauri*. Probatur, quia non est de Fide, ut ostensum est, unum posse satisfacere pro alio quia non habetur in Concilio; in quo nec habetur hujus Thesauri mentio, nec in alio Concilio universali: non est ergo propositus ab Ecclesia credendus de Fide. Verum quidem est, Clementem VI. in Extravaganti *Unigenitus*, *de Poen. et. Rem.* dicere: (« Ad thesauri infiniti,*ex sanguine et meritorum Christi* cumulum B. Dei genitricis, omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum praestare noscuntur. De cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo quod quanto plures ex ipsius applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. «) Sed non est ibi mentio *satisfactionis* sanctorum, de qua sola loquimur. 2. Id solum obiter dictum in Extravagant. 3. Quae etiam scripta est Archiepiscopo Tarraconensi, non universae Ecclesiae. 4. Denique Papa, non est Concilium generale. Non itaque sufficit fundando articulo Fidei Catholicae. 5. Suarez, Tom. 4. disp. 51. quae est de isto Thesauro, sect. 2. (« Ex Theologis, *inquit*, praeter Maironem Durandus ausus est negare Thesaurum Ecclesiae, ut constantem ex meritis vel satisfactionibus aliorum, praeter Christum. Affertque 2. rationes. 1. est eadem cum ratione Maironis. Quia opera justorum sunt condigne remunerata in animabus eorum. 2. Si quae merita sanctorum reponerentur in Thesauro Ecclesiae, maxime illa, quae sanctis superflua sunt; nam quae sunt ipsis necessaria, aliis non applicantur: sed nulla sunt merita ipsis superflua, quia omnia sunt eis utilia et efficacia ad aliquod praemium, quia nullum est vel minimum opus apud Deum, quod careat mercede sua; ergo nulla superflua Sanctorumm merita, quae in Thesauro reponantur. *Et infra*: Dixerunt aliqui, ut supra vidimus, agendo de suffragiis, haec opera, etiam quoad vim satisfaciendi, ita esse propria ipsius

justi operantis seu patientis, ut nullus justus praeter Christum possit alteri donare illa sub hac ratione, seu pro alio solvere, aut satisfacere, juxta quam opinionem consequenter dicendum est, Thesaurum Ecclesiae non constare ex satisfactionibus Sanctorum, neque ex illis applicare aliquid per Indulgentias ad solutionem temporalium reatuum.' In quo multum accedit illa sententia ad Durandi sensum: differre tamen potest ab illo, dicendo merita Sanctorum, quatenus habent vim impetrandi aliquid, merendo etiam illud de congruo aliis, sub ratione manere reposita in Thesauro Ecclesiae. Nam sub eadem dici possunt superabundantia seu superflua, quia sufficientia sunt ad impetrandum et obtinendum a Deo, ex praedicta ratione meriti, plura beneficia, quam de facto Deus propter illa contulerit justis seu Ecclesiae. Quod videtur satis ad salvanda verba Pontificum. Nam Clemens VI. in Extravaganti citata, non de satisfactione, sed de meritis loquitur. ») Ita Suarez. Quae sufficiunt firmandae nostrae illationi, scilicet, *Thesaurum illum ut constantem ex satisfactionibus sanctorum, non esse de Fide*, cum varient in ejus assertione Doctores.

Etsi illo solum intelligatur quod actiones sanctorum, in hac vita, vim habeant impetrandi a Deo aliquid etiam post mortem, et sub ea ratione manerent in Thesauro Ecclesiae, nequaquam Devii talem Thesaurum Ecclesiae negant, tam clarum in scriptura, Gen. 26. 24. *Ego sum Deus Abraham Patris tui, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.* Et Psal. 131. 10. *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*, id est ut habet Glossa Genevensis: Noli contemnere vel rejicere preces, quas Rex Salomon in generali facit pro omni populo. En Thesaurum Ecclesiae explicatum, ut audivimus, ab aliquot Theologis, agnitum a Protestantibus nostris. Quam *vim impetrandi*, saepe nostri *meritum de congruo* vocant. Aliis non placet nomen meriti *de congruo* ne quidem *pro se*, multo minus *pro aliis*. Audivimus etiam Mestrezatium admittentem merita proposita ut supra. In quo ergo, secretione illa exacta doctrinae fidei nostrae ab aliis doctrinis facta, ma-

net dissidium, seu *de meritis* seu *de satisfactione*, seu *pro se*, seu *pro alio* per modum impetrationis, ut in oratione, seu *de Thesauro Ecclesiae?* Quantas adversariorum hallucinatio circa doctrinam Fidei nostrae excivit dissensiones? Quot ex hallucinatione ita implent libros? quae nobis probabilior doctrina *de his quatuor articulis seu deductionibus.* Resp. Eadem quae de meritis et de satisfactione Tridentinum supra allatum loquitur, et similis militat ratio. Quare censemus probabilius 1. Satisfactiones esse de condigno, condignitate orta partim ex natura operis, partim ab acceptatione divina. 2. Non sola opera charitatis elicitive vel impetrative, sed alia etiam aliarum virtutum, maxime poenalia, esse satisfactoria. 3. Posse fideles sibi invicem suffragium ferre, dum unus pro alio solvit poenam temporalem pro peccatis remissis debitam satisfactionis nomine in proprietate, et rigore sumpto, quod non est solum impetrare gratuitam remissionem poenae, sed et debitum solvere: non est itaque solum per modum impetrationis. Addo, quod fideles hoc modo satisfaciunt, tum pro vivis, tum pro defunctis: et utramque satisfactionem infallibiliter prodesse iis, pro quibus offeruntur, sive viventibus in hoc mundo, sive in purgatorio existentibus, et secundum totum harum satisfactionum valorem. 4. Unde dicendum etiam esse in Ecclesia Christi thesaurum, non solum et quidem praecipue constantem ex Christi meritis et satisfactione, quo sensu Thesauro sumpto, Fide is constat; sed etiam ex Sanctorum tum meritis, tum satisfactione proprie sumpta, pro aliis, ut dictum supra. Quae omnia fuse probat Suarez, tom. 4. disp. 48. sect. 2. 3. 5. 6. et disp. 51. sect. 1. et 2. quo lectorem amandamus: cum nostri sit solum instituti, quae sint Fide Catholica credenda proponere; et ab aliis quibusvis secernere; quod praestitum numeris praecedentibus.

§. 4.

De Indulgentiis:

Professio nostra et Concilium Tridentinum haec

habet, nec aliud, de Indulgentiis. Professio quidem nostra, ex Tridentino excerpta: (« Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. *Tridentinum*, *sess.* 25. decretum de indulgentiis. Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et approbatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Caeteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque profluxerunt, cum ob multiplices locorum et Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohibêri; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiae suae corrigat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem referantur; cujus auctoritate et prudentia, quod universis Ecclesiis expediet, statuatur: ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. ») Haec, nec plura Concilium. Unde sequitur: Ut haec Fide Catholica sunt credenda, quia proposita a Concilio universali; ita nec plura, quia nec plura proposita a Concilio hoc universali, nec ab alio oecumenico.

Itaque *de Fide est*, *potestatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias divinitus sibi traditam*; quia sequitur ex Regula Fidei.

E contrario sequitur: *Non esse de Fide Catholica in usu seu concessione Indulgentiae prout de facto sit, remitti poenas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in Purgatorio, sive in hac vita: aut etiam Ecclesiam habere voluntatem, cum concedit Indulgentias, has poenas relaxandi, et de facto illas relaxari.* Probatur 1. Quia hoc non proponitur a Tridentino. Et sane, cum quaestio sit de facto, seu *quid velit Ecclesia relaxare*, quomodo posset esse de Fide? 2. Probatur; quia variae sunt Doctorum hac de re sententiae, relatae a Suario, et aliis. («Quidam Catholici, *inquit*, *disp. 49. sect. 1.* dixerunt, per indulgentias non remitti reatum poenae apud Deum, sed solum tolli obbligationem exequendi Canonicas poenas, seu injunctas per Ecclesiam. Quod docuit Cajetanus: sed ille non loquitur de potestate, sed de actu. Est, *refere idem disp. 50. sect. 3. de Indulgent.* diversitas opinionum. Quidam enim senserunt, per indulgentias quae de facto conceduntur, non remitti reatum poenae apud Deum, sed solam obligationem exequendi Sacramentalem Poenitentiam. Quae opinio antiqua fuit, eam enim referunt D. Thomas, et Bonaventura, et insinuat Albertus, definiens Indulgentiam, remissionem esse de poenitentiis injunctis; fundamentum est, quod in Jure saepe dicuntur dari Indulgentiae *de poenitentiis injunctis*, *ut patet* ex c. cum ex eo, *de poenit. et remiss. et* ex c. *Romana.* eodem tit. in 6. et ex *Clem. unic. de reliq. et venerat. Sanctorum.* Ex quo loco intelligere licet generalem formam concedendi Indulgentias *de poenitentiis injunctis.* Ideoque licet indulgentiae concedantur simpliciter, et aliud non exprimatur, intelligendas esse secundum Juris formam, atque adeo *de poenitentiis injunctis;* eo vel maxime quod Pontifices saepe concedunt Indulgentias sub hac forma, *Concedimus 7. annos, vel 40. dies, aut tot quadragenas Indulgentiae*, quae numeratio manifeste fit *juxta Canones Poenitentiales*, taxantes hoc modo poenitentias peccatis imponendas. Tandem confirmari potest haec sententia, ex iis, quae supra adduximus, de antiquo usu Ecclesiae in indulgendis poenitentiis, nimirum ex eo non posse colligi, per illas remissio-

nes solitas fuisse remitti poenas etiam in foro Dei. Sed usus Indulgentiarum postea extensus est ad poenitentias injunctas etiam in foro Sacramentali sub eadem ratione, et ad similem effectum introductus est, et ille est qui nunc durat in Indulgentiis concedendis: ergo etiam nunc per Indulgentias nihil aliud relaxatur, nisi poenitentiae injunctae. Ita Suarez· ») Quorum auctorum relatorum auctoritas, et rationes, etiam probant sententiam illam esse probabilem. Ex qua facile Indulgentias hoc modo explicatas admittunt protestantes: cum nihil sit aliud, quam relaxatio Canonum antiquorum poenitentialium, quos ipsimet non observant. Adde, quod et saepe saepius poenas, quas infligit eorum disciplina, variis ex causis relaxent. Junge, quod censeant, quotiescumque ab eorum ministris *remittuntur peccata*, *ministros*, ut utamur verbis Molinaei in Erasm. 20. *remittere peccata* nulla remanente poena luenda nec in Purgatorio, nec in hac vita. Dant ergo Indulgentias et plenissimas, et singulis fere diebus, quibus conveniunt in templis.

Sequitur II. *Ne quidem esse de Fide, loquendo de potestate, esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias, per quas remittuntur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum,* sive in hac vita, sive in Purgatorio; seu, *non est de Fide Catholica, posse Ecclesiam talem Indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum poenae temporalis apud Deum, immediate, ac per se, per solam relaxationem seu condonationem ipsius poenae, luenda sive in Purgatorio, sive in hac vita.* Probatur 1. Quia Tridentinum hoc non proponit. D. Thomas in supplemento, quaestione 25. art. 2. cui titulus est, *Utrum per Indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria?* sic habet: (,, Respondeo dicendum, quod ab omnibus conceditur, Indulgentias aliquid valere; quia impium esset dicere, quod Ecclesia quid vane faceret. Sed quidam docent, quod non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam

)

etiam obligatur ex Canonum statutis. Sed haec opinio non videtur vera, quia, etc. ") Ita D. Thomas, referens, nec arguens haereseos hanc opinionem. 3. Probatur, quia nec Suarez, disp. 49. sect. 1. et disp. 50. sect, 2. nec quivis alius quidquam affert, quo sufficienter probet esse de Fide, praesertim *Catholica*, si bene quae profert expendantur ad Regulam Fidei, et ad ea, quae ex illa supra deduximus. 4. Ostenditur positive ex ipso Concilio. Nam non agnoscit Concilium potestatem conferendi Indulgentias in Ecclesia, nisi eam, *qua antiquissimis etiam temporibus* illa usa fuit, scilicet in Concilio Aucyrano, cap. 2. 5. 9. 21. 22. Neocaesar. cap. 3. Nicaeno. cap. 1. 12. Carthag. IV. cap. 75. Agath. cap. 60. At ipsemet Suarez, disp. 49. sect. 2. ,, Cum Tridentinum, *inquit*, habet, hunc usum sacrorum Conciliorum auctoritate fuisse approbatum; ad hoc citari solent Concilium Nicaen. can. 11. Carthag. IV. can. 65. Neocaes. cap. 3. Agath. cap. 60. Laodic. cap. 1. et 2. Sed in his solum legimus, semper licuisse Episcopis, ex Canonicis poenitentiis publicis, quae pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid peccatoribus, et poenitentibus remittere, si eorum vita et laudabilis conversatio id mereri videretur. Quod autem illa remissio se extenderet usque ad ablationem vel diminutionem reatus poenae apud Deum, ex illis Conciliis non satis colligitur. Ideoque non potest ex illis sumi argumentum efficax, sed ad summum conjectura quaedam, seu probabilis ratio a simili, fundata in potestate clavium. ") Et paulo post, adductis testimoniis Cypriani, Basilii, Gregorii Nysseni, et diversorum Conciliorum. (,, Recte convincitur, *inquit*, testimoniis adductis, fuisse antiquum morem in primitiva Ecclesia remittendi aliquando hujusmodi poenas (*lege Ecclesiastica taxatas*) vel condonando illas, postquam impositae fuerunt, vel aliquando etiam condonando delicta in externo Ecclesiastico foro, nullam, vel leniorem poenam imponendo; difficile autem videtur explicare, quomodo ex illo modo remissionis satis probari possit, tunc consuetum usum Indulgentiarum, prout nunc illum probare intendimus. Nam licet hujusmodi pec-

catores hanc veniam a Praelatis Ecclesiae acciperent, ut sine tali, vel tali Canonica poenitentia admitterentur ad pacem et Communionem cum aliis fidelibus, vel ut liberarentur ab onere exhibendi talem poenitentiam publicam; nihilominus haec remissio vel condonatio praecise sumpta, nihil ab eis auferebat de reatu poenae pro tali peccato debitae apud Deum: quia praelatus Ecclesiae recipiens hujusmodi peccatorem ad pacem et unitatem Ecclesiae absque onere talis poenae, non propterea liberabat illum ab eadem purgatorii poena; sed necessarium erat, ut peccator ille alio modo satisfaceret Deo, vel certe supponebatur, et credebatur ex modo et fervore conversionis, vel alia via, illum plene satisfecisse. *Et paulo post*: His similibus rationibus videtur convictus Cajetanus, ut diceret per Indulgentias quae sunt in usu Ecclesiae, solum remitti poenitentias per ministros Ecclesiae impositas; non vero poenas ipsas in judicio Dei debitas. Quod quidem licet falsum sit de praesenti statu Ecclesiae, de illis tamen temporibus ante Gregorium magnum, de quibus nunc inquirimus, non videtur impossibile; non quod positive, ut sic dicam, nobis constet, tunc non fuisse eumdem morem et usum Indulgentiarum qui nunc est, hoc enim nullo historiae testimonio, aut ratione ostendi potest; sed tantum negative, quod ex his, quae de illis temporibus legimus, non satis convincitur hic usus, et hoc apud me suadent omnia, quae adduxi, nihil enim occurrit, quod omnino satisfaciat; solum ergo potest aliqua conjectura fieri ex illo antiquo usu.") Haec Suarez: ex cujus admissione, juncta cum minore ex Tridentino accepta, induco conclusionem.

5. Notandum diligentissime, non defuisse doctissimos Theologos in Concilio, qui probe nossent, quod talia agitabantur in scholis; sciebant etiam quod Protestantes de hac remissione coram Deo, litem praecipue intentabant Indulgentiis. Ergo Concilii reticentia de hac re, non est minimum argumentum positivum, quo probatur Concilium censuisse non esse de Fide, talem potestatem in Ecclesia conferendi Indulgentias, quae forent *Remissiones poenae temporalis coram Deo debitae*, seu

in purgatorio . seu in hac vita. 6. Nec Bellarminus tractans de hac difficultate, lib. 1. de Indul. cap. 7. prop. 4. relata dicta opinione, damnat eam haeresis, sed solum dicit: *Et quidem adversus Catholicos in hac re minus recte sentientes, probatur, etc.* Nec ipsemet Suarez locis citatis eamdem damnat haerescos. Denique nec ullum Doctorem eam sic damnantem legimus: *ergo non est de Fide Catholica, de qua sola loquimur.* 7. Nec praxis praesens Indulgentiarum, aut sensus fidelium ex ea praxi manans, evincit id quod quaeritur, esse de Fide: tum quia *non omnes praxes Ecclesiae etiam universalis sunt sufficientes fundando articulo Fidei Catholicae: probabilem opinionem aliquando in praxi secuta Ecclesia aliquid facit, tametsi non tanquam certum dogma Fidei declaret*, ut fuse supra probavit Vasquez; et ne quidem constat, quod Ecclesia habeat voluntatem remittendi has poenas, cum concedit Indulgentias. Quomodo ergo ex praxi constaret, esse de Fide hanc potestatem, de qua quaerimus?

Subscribimus tamen iis, quae addit S. Thomas loco citato supplementi, relata praedicta opinione. *Sed haec opinio non videtur vera. 1. Quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est Matth.* 16 19. *ut quod in terra remitteret, in caelo remitteretur: unde remissio, quae volet quantum ad forum Dei. Et praeterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad majores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad judicium Dei, et remissionem poenae residuae post contritionem et confessionem, sive sit injuncta, sive non, etc.* Vide probationes hujus potestatis in Ecclesia fusissime apud Suarium, Tom. 3. disp. 48. sect. 1. et 2. petitas praesertim ex usu praesenti, et plurium retro seculorum, Pontificum Romanorum Bullis pluribus, quae refert, concedentium Indulgentias, per quas remittantur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum: quas probationes concedimus esse bonas. Sed non placet, quod habet ibidem

Suarez, sect. illa 1. hanc doctrinam esse *de Fide.* Nec haec praxis, ut jam diximus, et iterum dicimus contra Suarium, sufficit ad fundandum hanc doctrinam esse *de Fide.* Sicut nec praxis similis sufficit ad statuendum, *satisfactiones pro aliis*, aut *Thesaurum Ecclesiae, constantem ex satisfactionibus aut meritis Sanctorum esse de Fide*, quae duo etiam supra negavimus, esse *de Fide*, maxime *de Fide Catholica*, de qua sola loquimur. Imo sola probabilitas opinionis sufficit rectae et prudenti praxi statuendae in Ecclesia, ut supra docte probavit Vasquez: ut in variis materiis, ita et in istis tribus sufficere posset, *satisfactionis pro aliis, distributionis Thesauri, et Indulgentiarum pro vivis*, ut et, *pro defunctis, de quo in sequela* 3. mox; et certum est sufficere pro multis Indulgentiis in particulari, ob causas non ita graves datas, ut dicetur in *sequela* 4. In quibus etiam elargiendis Pontificem prudenter, et proinde bene operari, pro certo est habendum.

Sequitur III. Longius ab objecto Fidei Catholicae, seu non *esse de Fide, Ecclesiam posse concedere defunctis, quae sit vera Indulgentia, id est, remissio poenae, multo minus de Fide est, Ecclesiam habere voluntatem remittendi has poenas*, nisi per modum suffragii. Probatur 1. Quia nihil horum habet nec professio nostra, nec Tridentinum. 2. Quia variant in hac re Doctorum explicationes. Alii Catholici, *refert Suarez, disp.* 49. *sect.* 1. („ dixerunt, Ecclesiam posse concedere Indulgentiam, non autem defunctis. *Et disp.* 53. *sect.* 1. Inter Catholicos Hostiensis negavit simpliciter, Indulgentias prodesse defunctis: quem secutus est Gabriel: idemque tenuit Gerson. Quia Indulgentiae, ait Gerson, ordinatae sunt pro his, qui submittunt se curiae misericordiae, quae durat usque ad mortem, non vero post mortem. *Et confirmatur*; Nam concessio Indulgentiae est actus jurisdictionis, sed Pontifex non habet jurisdictionem in purgatorium, quia non est judex illarum animarum, sed a Christo immediate judicatae sunt, et ad illas poenas ligatae: ergo non possunt ab illis solvi ab alio judice quam suo. *Idem Suarez, sect.* 3. Putant aliqui, quod In-

dulgentia per modum suffragii non est omnino infallibilis, sed pendens semper ex libera acceptatione et misericordia Dei. Et confirmatur; nam etiam privata suffragia pro defunctis non habent tantam efficaciam, ut infallibiliter acceptentur. Imo aliqui putant ipsum sacrificium Missae illam non habere, neque esse aliquod opus, quod *ex opere operato* liberare possit animas defunctorum ab illis poenis lege certa et infallibili. Denique de hoc necdum habemus divinam promissionem, in qua sola possit haec infallibilitas fundari. Hanc sententiam docuit Cajetanus, et eam secutus est Canus, et eam etiam magis probat Corduba. *Hucusque Suarez, et Vasquez*, 3. *par. disp.* 228. *cap.* 4. Sotus, Canus, et Corduba censent, sacrificium Missae circa vivos certa lege semper operari remissionem poenae; circa defunctos vero existentes in purgatorio, non item; sed illis solum ad hunc effectum valere per modum suffragii; vocant autem per modum suffragii idem quod instar suffragii: ut quemadmodum, inquiunt, orationes vivorum defunctis solum prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certa lege statuerit, propter illas, defunctorum poenas remittere, ita etiam sacrificium Missae defunctis prosit. Idemque de Indulgentiis, quae defunctis conceduntur, affirmant. Imo ex eo quod existiment Indulgentiarum effectum circa defunctos non esse ita certum sicut circa vivos, idem de effectu sacrificii Missae arbitrantur. »)

Diximus porro, *nisi per modum suffragii*; quia *res non est certissima*, notat bene Bellarminus, de Indulg. lib. 1. cap. 14. *et apud Catholicos indubitata: Indulgentiis juvari posse animas, quae in Purgatorio paenas luunt.* . Sed quis Protestantium non facile admittet Indulgentias sic explicatas *per modum suffragii*, seu per modum orationis, si concedat purgatorium? Nam admittunt, fideles posse orare pro se, et pro aliis viventibus, et impetrare quae petunt: sic habet eorum forma precum tempore pestis: *ad impetrandam veniam utendum hac orationis forma*; quod est suffragium illis ferre, et Deum intuitu talium orationum misericorditer quae petunt elargiri. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.* Psal. 131. 10. Cur Ec-

clesia offerente Deo merita Christi, et Sanctorum vitam piam, et petente, *propter* verum David Christum, et *propter* hanc Sanctorum vitam piam, sicut *propter David* dicebat Salomon Deo, remissionem poenae debitae defunctis, quod est Ecclesiam largiri Indulgentias *per modum suffragii*, aut fidelibus pro defunctis privatim orantibus, *Deus misericorditer non elargiretur quod petitur*, qui exaudit alias preces, tum Ecclesiae ejusdem, tum aliorum fidelium? Repete memoria, quae de ministris retulimus, *remittentibus peccata* fidelibus plene, et cum remissione totius poenae debitae: et miraberis, quo modo audeant Indulgentias denegare Pontifici Romano, cum plura sibi arrogent quique vel infimi ministri. Sola ergo superest difficultas, *an detur purgatorium, et maneat paena temporalis remisso peccato luenda*. Quae est diversa difficultas. Hoc porro solum est de Fide; reliqua solum sunt probabiles opiniones.

Inter quas, ut probabiliori adhaeremus 1. (» Hunc effectum remissionis poenarum tum defunctis viventibus virtute sacrificii Missae semper concedi, et certa quadam lege a Deo ita constitutum esse: (» *quae est communis, et vera sententia, inquit Vasquez loco citato:* (« 2. Suffragia, quae a fidelibus pro defunctis fiunt certa lege illis prodesse. ») Quin et cum Suario, disp. 53. sect. 3. (« verbis censeo Indulgentiam concessam pro defuncto infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in vivente, quando pro illo conceditur. Hanc sententiam magis probat Soto, et fuit opinio S. Thomae: qui supposita forma Indulgentiae sufficiente, ita dicit prodesse illam defuncto sicut vivo. ») Sed cum nostri instituti solum sit, quae sunt *de Fide* secernere ab aliis: et haec sola proponere Devиis credenda: cum sufficiat, quo fiant Catholici, subscribere iis solis, quae sunt *de Fide Catholica*, omissis aliis, quorum ne quidem cognitionem ullam habere tenentur, talia non moramur.

Sequitur, *Nullum Jubilaeum, nullam indulgentiam*, datam a Pontificibus, aut a Conciliis, sive plenariam sive allam tot vel tot annorum *in specie*; *aut particularem, ob hanc vel illam causam, haec*

vel illa opera praestando, *esse de Fide*, seu certitudine Fidei certam; plurimae sunt tantum probabiliter validae; aliquae quae circumferuntur, sunt ob pravos quaestus effectae, et scandalosae, proindeque eliminandae. *Quod nulla sit de Fide*, probatur. 1. Quia nulla *in specie ut particulari* credenda proponitur in Professione nostra, in Tridentino, aut alio Concilio; 2. et quae dantur a Conciliis, vel Pontificibus, praxes sunt: jam autem diximus, non semper praxes Ecclesiae sufficere probando articulo Fidei, sed posse fundari in opinione probabili. *3.* Longius a certitudine Fidei absunt, quae dantur a Pontificibus, cum dixerimus, quae proponuntur a Pontificibus, tanquam puncta doctrinae, multo minus praxes Pontificum esse de Fide. 4. Nunquam est de Fide, quod sequitur ex duabus propositionibus, quarum una est extra verbum Dei, multo minus si una sit tantum probabilis; at talia sunt Jubilaei et omnes Indulgentiae, ut mox probabimus. Tertio itaque sic probatur auctoritate nostrorum Doctorum: *Quia convenit inter omnes*, inquit bene Bellarmiuus, de Indulg. lib. 2. cap. 12. (« Siue justa causa Indulgentiam non esse ratam, quod attinet ad expiandum reatum poenae coram Deo, vel in hac vita, vel in alia, docent Thomas, Bonaventura, Durandus, Gabriel et recentiores omnes: Sed quaestio est, an ad justam causam requiratur *proportio* aliqua operis injuncti cum Indulgentia, ita ut pro majori Indulgentia major causa requiratur, an vero possit pro opere minimo dari Indulgentia maxima? de qua re duae sunt opiniones. Prior est eorum qui docent, non requiri proportionem ullam, sed satis esse si causa sit pia, id est, modo non concedatur Indulgentia pro opere malo, vel pro opere mere temporali, aut pro opere vano et nihil ad divinam gloriam pertinente, sed pro quocumque opere quod ad honorem Dei vel Ecclesiae utilitatem cedat, Indulgentia rata erit. Ita docuit Sanctus Thomas, Durandus, Paludanus, Valentia et alii. Posterior sententia est aliorum: qui contendunt ad justam causam requiri aliquid non solum pium et utile, sed etiam quod proportionem habeat cum Indulgentia, ita ut non sit ratum, si detur pro causa

levissima, Indulgentia maxima: ita docent Bonaventura, Richardus, Gerson, Gabriel, Cajetanus, Major, Soto, et alii. Quoniam si pro quacumque pia causa concessae Indulgentiae ratae essent, nullae dici possent superfluae vel indiscretae, cum semper sit in promptu aliqua pia causa quae allegari possit, et alias posset Summus Pontifex in momento liberare omnes animas purgatorii, quia posset dici, non deesse piam causam, cum ad gloriam Dei pertineat, ut tot animae citissime volent in Coelum. Posterior sententia, ut est communior, ita etiam verior mihi videtur; ut ex. g. Si detur Indulgentia plenaria iis, qui semel recitant Orationem Dominicam pro conversione Haereticorum, causa non videbitur justa; quomodo etiam si detur Indulgentia iis, qui nummum unum exponent pro recuperanda Hierosolyma, non videbitur justa causa tantae Indulgentiae »). Haec Bellarminus. At nunquam constat Fide, hanc vel illam causam, seu hoc vel illud *opus*, cujus intuitu datur Jubilaeum vel Indulgentia, esse *justam causam*, et opus *habere proportionem* cum Indulgentia, ergo de nullo Jubilaeo vel Indulgentia constat esse valide datam.

Quae ratio probat etiam secundam partem hujus illationis, *plerasque imo fere omnes esse solum probabiliter validas*; quia vix constare potest, quae sit ista proportio requisita, et quo levior est causa sive opus, quales sunt plurimae quae conceduntur, dicendo, v. g. Orationem Dominicam et eleemosynam aliquam elargiendo, eo probabilitate minori valida est Indulgentia. Porro non est culpandus, sed potius laudandus Pontifex in earum concessione, eo quod sufficit ad praxim legitimam opinio probabilis, qualis est 1. quam retulimus. Etsi tales Indulgentiae, si sententia secunda sit verior, non sunt ex toto validae, nullum ex ea Indulgentia damnum sequitur, imo inde fideles ad pia opera inducuntur.

Denique (« justa semper causa requiritur, *inquit ibidem Bellarminus*, sed non est subditorum judicare, utrum causa sit justa vel injusta; debent enim simpliciter existimare justam esse; sed veteres Pontifices parcissimos fuisse in Indulgentiis conferendis notissimum est »). Nec talis etiam certitudo retar-

dare debet fideles ab Indulgentiis consequendis; quia fere in omnibus rebus humanis homines prudenter ex opinione probabili varia aggrediuntur; praescribit Medicus medicinam prudentissime, cum probabiliter putat profuturam, licet non certo, sed certum non esse obfuturam. Litigans, Mercator, etc. ex spe probabili lucri, licet etiam non constet illi damnum non inde secuturum, naufragio, aut causa cadendo. Ergo prudenter et Pontifices elargiuntur, et fideles conantur, lucrari tales Indulgentias. Et addit idem auctor ibidem: (« 1. Nullum inde esse ut plurimum deceptionis populi periculum; quoniam sicut potest fieri, ut aliquando Indulgentia non sortiatur effectum, ob defectum ejus qui eam suscipit; ita nec debet videri absurdum, si aliquando idem accidat ob defectum causae, et Christianus populus non ignorat ad Fidem pertinere, quod sit in Ecclesia potestas Indulgentias concedendi, non autem quod in particulari non possit fieri, ut Indulgentia vel non sit rata, vel non prosit; et ideo sic accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere »).

Tertiam partem nostri illati habet etiam Bellarminus. (» Non desunt, *inquit cap.* 9. qui negent Indulgentias, quae contineut condonationem poenitentiae, multorum millium annorum esse a Pontificibus datas, sed a Quaestuariis confictas dicant. Ita sentiunt Gerson et Soto. Pontifices enim non solebant Indulgentias concedere, nisi tot annorum, quot annorum poenitentiae injungebantur; poenitentiae vero non solebant injungi; nisi unius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quae ultra centum annos porrigi non solet. *Et lib.* 2. *cap.* 20. Si quis nosse cupit veras historias de Indulgentiis Romanis, non eas petat vel ab hostibus Ecclesiae, neque ab obscuris quibusdam libellis, qualem unum Kemnitius se vidisse dicit editum Norimbergae, Germanice scriptum, et amplificatum de stationum Romanarum Indulgentiis, cum antea latine et brevius editus Romae fuisset, sed a Pontificum diplomatibus, vel ab authenticis Ecclesiarum tabulis, aut

certe ab auctoribus certis, gravibus, doctis, probatis; neque enim dubitari potest, quin multa vel conficta in ejusmodi libellis incertis et anonymis legantur. Sane in probatis auctoribus non leguntur concessa fuisse aliquando multa millia dierum vel annorum Indulgentiae n). Non paucae etiam aliae circumferuntur, quae falsae videntur, aut certe valde incertae, et vix probabiles, quas hic referre non est operae pretium, quae quaestus causa identidem a Quaestuariis publicantur, magno Deviorum praesertim scandalo, *quorum abusuum occasione*, inquit Tridentinum, *Indulgentiarum nomen ab haereticis basphematur.* Hinc Synodus pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, abolendos statuit.

Hac secretione facta *doctrinae Fidei ab aliis*, Devii facile subscribent doctrinae Fidei Catholicae de indulgentiis, qui hallucinatione doctrinae Fidei nostrae, tot tragoedias hoc seculo excitarunt; et ab hac materia scissionem ab Ecclesia infeliciter sunt auspicati. Proponamus nos solum iis ea quae habentur in professione nostra, et Tridentino relatis, ne *plus sapiamus*, quam sapuit Pius IV. Pontifex scriptor professionis, et Tridentinum; sufficitque sine dubio quo quis sit Catholicus in hac materia, reliquis silentio sopitis.

§. 5.

De Purgatorio et suffragiis pro Defunctis.

Professio nostra sic habet: *Constanter teneo Purgatorium esse: animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari.* Et, *Profiteor in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis*, de qua sola ultima particula hic agimus. Et Trid. Sess. 25. Decret. de Purgatorio. („ Cum Catholica Ecclesia Spiritu S. edocta, ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac OEcumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum

vero acceptabili altaris Sacrificio juvari, praecipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a Sanctis Patribus et Sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem, difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant, *evulgari* ac tractari non permittant; ea vero quae ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus, pro aliis fidelibus defunctis fieri consuerunt, secundum Ecclesiae instituta pie et devote fiant»).

Hinc primo patet, quae sunt de Fide credenda ex regula nostra, scilicet quae proposita ab universali Concilio Tridentino.

Sed a contrario scilicet, quia non proposita ab illo circa purgatorium. (« 1. Non est de Fide, *inquit Bellarm. lib. 2. de purgatorio, cap. 11.* verum et proprium esse ignem purgatorii, et ejusdem speciei cum nostro elementari. Quia nusquam in Concilio definitum est: imo in Concilio Florentino Graeci aperte professi fuerant, se non ponere ignem in purgatorio, et tamen in definitione facta sess. ult. definitur purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilissima. 1. Propter, etc. *Idem cap. 6.* Sequitur quaestio ubi sit purgatorium? de qua quaestione, nihil Ecclesia definivit. Sunt autem multae opiniones. *Refert plurimas*, et octava, *inquit*, est communis Scholasticorum, purgatorium esse infra viscera terrae, inferno ipsi vicinum. 3. *Idem cap. 14.* De gravitate poenarum, quamvis aliquo modo omnes admittant poenas purgatorii esse majores poenis hujus vitae, tamen dubium est, quomodo hoc intelligatur. Bonaventura docet purgatorii poenas esse majores poenis hujus vitae solum in hoc sensu, quia maxima poena purga-

torii est major, quam sit maxima poena hujus vitae; licet aliqua poena purgatorii reperiatur minor aliqua poena hujus vitae. Quae sententia mihi placet. 4. *Nec est de Fide*, quanto tempore duret *purgatorium*. Res est incertissima, *inquit Bellarm. cap. 9.* et non nisi temere definiri potest »).

Sane secretione hac posita, facile est Devio persuadere sibi purgatorium; cum praesertim Calvinus instit. lib. 3. cap. 25. §. 6. dicat: (« Non est licitum, nec utile nobis inquirere curiosius de statu qui est inter mortem et resurrectionem. Torquentur valde plurimi, disputantes in quo loco sint animae receptae, et utrum fruantur jam gloria promissa, an non. Scriptura non eo usque progreditur. Quis Doctorum docebit nos, quod Deus nobis celavit? Quandoquidem Scriptura vult, nos esse suspensos usque ad adventum Jesu Christi, et praecipit nos eum expectare, et ad illam diem nos remittit, recipiendae coronae gloriae; contineamus nos his terminis, quos Deus nobis assignavit, scilicet animas fidelium in requiem recipi, ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriae promissae, et sic omnia suspensa manere, usquequo Christus appareat in Redemptorem »).

En locus 3. ex Calvino, et quidem cum suspensione et dilatione. *Spes autem quae differtur, affligit animam*, en ergo species saltem purgatorii.

Quod ad *suffragia* attinet, ut patet ex Trid. quae sint de Fide, scilicet quae ibi sunt proposita.

Ita sequitur a contrario, nullam sequentium doctrinarum, esse articulûm Fidei. 1. *Non est de Fide* (ut supra ostensum) *sacrificium Missae certa lege et promissione semper operari remissionem poenae circa defunctos existentes in purgatorio; sed illis solum ad hunc effectum valere per modum suffragii: communis tamen et vera sententia est contraria.* 2. *Nec est de Fide, suffragia quae a fidelibus pro defunctis fiunt, certa lege illis prodesse.* Ratio est, quia Concilium nihil horum determinat. Probabilius tamen est, certa lege id fieri. 3. *Nec de Fide est, sacrificium Missae ex opere operato hoc operari.* Tacet enim de his Concilium, et ut bene docet Vasquez, disp. 229. cap. 1. (« Variae sunt Theologorum opiniones, qui et diverso modo loquuntur »).

Et Suarez, disp. 53. sect. 3. (« Aliqui putant sacrificium Missae non esse aliquod opus, quod ex opere operato liberare possit animas defunctorum ab illis poenis lege certa et infallibili ».). Relege circa tria quae supra diximus. 4. Nec remissionem hanc quae fit, fieri per applicationem satisfactionum nostrarum animabus purgatorii. Primo, quia nihil habet Tridentinum. 2. Variant Doctores. Suarez, disp. 48. sect. 5. (« Prima sententia, *inquit*, generaliter affirmat hunc modum, *scilicet* per modum impetrationis *suffragia prodesse defunctis*, non solum esse possibilem; sed etiam nullum alium posse nos exhibere animabus purgatorii, ad hunc effectum obtinendum. Hoc a fortiori tenent illi Theologi, qui inter viventes nullum admittunt alium modum satisfactionis unius pro alio. Nam hoc principium apud omnes certum est, non posse nostra suffragia esse efficaciora ad remittendam poenam Defunctis, quam aliis viventibus ».).

§. 6.

De legum humanarum Obligatione in conscientia.

Professio Fidei nostrae hoc habet: *Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Romano Pontifici veram obedientiam spondeo ac juro, caetera item omnia a sacris Canonibus et OEcumenicis Conciliis tradita recipio.* Et Trid. sess. 6. can. 20. (« Si quis hominem justificatum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Ecclesiae, anathema sit. *Et sess. 7. can. 8.* Si quis dixerit Baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiae praeceptis, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit. *Denique sess. 25. Tit.* de delectu librorum, jejuniis, et diebus festis. Hortatur Sancta Synodus et Pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia quae Sancta Romana Ecclesia statuit, necnon ea quae tam in hoc Concilio quam in aliis OEcumenicis statuta sint, quibus-

cumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut librorum delectus et jejunia, vel etiam quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio, admonentes populos crebro obedire praepositis suis; quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt Deum ipsorum ultorem sentient ».) Hactenus Concilium: nec plura. En ergo doctrina Fidei Catholicae, quia proposita a Concilio universali.

Hebr. 13. *v.* 17. *Luc. cap.* 10 *v.* 16.

Ex quo a contrario sequitur. 1. *Non esse de Fide, Ecclesiam seu ejus leges, aut a fortiori leges Principum saecularium posse* obligare, aut de facto obligare *conscientias sub peccato mortali*, seu ut utamur terminis Confessionis Novitantium, art. 24. *ita ut imponant jugum conscientiis.* Hoc, inquam, non est de Fide praesertim Catholica. *Nec proinde Haereticum* est quod habetur in Confessione Deviorum, art. 24. *Rejicimus inventiones humanas, quae imponunt jugum conscientiis.* Et art. 33. *Excludimus omnes inventiones humanas, et omnes leges quibus quis vellet ligare conscientias.* Et in confessione Augustana, Art. 27: *Collocant* Romanenses *in novo Testamento peccatum in cibis, in diebus, in vestitu et similibus rebus; hinc certe illa onera, quod certi cibi polluant conscientiam; quod horas Canonicas omittere sit mortale peccatum: unde habent jus Episcopi has traditiones imponendi Ecclesiis ad gravandas conscientias, etc.*

Probatur istud corollarium primum: quia non habetur in professione nostra aut in Tridentino, quod Ecclesia aut Magistratus civiles habeant talem potestatem obligandi sub peccato mortali, nec quod leges notatae, aut quaevis aliae Ecclesiasticae aut civiles obligent ita de facto sub poena inferni, ut patet in relatis. 2. Cum tot doctissimi Theologi Concilio interfuerint, nec ignorarent quid Augustana confessio sentiret, quum etiam varie Scholastici loquerentur; siluit tamen de hac re, quo silentio tacite declarasse videtur, non esse *haec* de Fide. 3. *Sotus et Castro*, inquit Vasquez, part. 2. disp. 154. cap. 1. (« referunt fuisse sententiam Gersonis, nul-

la lege humana etiam Ecclesiastica decerni aliquid posse aut juberi sub reatu culpae, quod aliqua lege divina praeceptum non sit; sed jus humanum, etiam Ecclesiasticum solum possit declarare jus divinum. Alii recentiores pergunt ulterius, et non solum dicunt Gersonis opinionem fuisse, nullam legem humanam, etiam Ecclesiasticam, fieri posse de aliqua re, quae nec jure divino, nec naturali fuerit praecepta, quinimo in eam sententiam referunt Almainum »). Nec tamen seu Vasquez seu alius Doctor damnat haereseos hanc doctrinam. 4. Verum quidem est sequi certo hanc veritatem ex principio aliquo revelate, seu mediate, ut mox dicemus; sed supra demonstravimus, non esse de Fide Catholica, quod sequitur ex una vel duabus praemissis revelatis: nec item de Fide est ob similem rationem quod sequitur ex definitione Ecclesiae, sed non est expresse ab ea propositum. At, ut ostendimus, istud non est ab Ecclesia expresse propositum; ergo ex duplici capite non est de Fide.

2. Quinimo probabilior mihi videtur Gersonis sententia, qualem eam referunt Almainus, Medina, Driedo, Adrianus, Castro, relatore *Vasquez*, 2. 2. *disp.* 158. *cap.* 1. legem humanam, *sive Ecclesiasticam*, *sive civilem*, quatenus humana est et a sola potestate humana profecta, non posse ad culpam mortalem obligare; idemque Gersonem sensisse de lege naturali quod de humana autumant praedicti auctores. Probatur autem haec sententia 1. quia lex humana et naturalis non attingunt cognitione sua finem supernaturalem, ergo non attingunt aeternam poenam vel praemium, quae ad finem supernaturalem, et plus quam humanum spectant. Deinde nullus Legislator potest lege sua ad eam poenam obligare, quam ipse non potest infligere in suo tribunali ».

3. *Non potest lege humana homo obligari ad actus omnino internos, eo quod non potest de illis in in suo tribunali ullo modo judicare; atqui neque ullus humanus legislator* Ecclesiasticus aut civilis, neque natura potest aeternam poenam infligere; ergo nec obligare ad culpam, quae homines reos talis poenae constituat.

4. Ex hypothesi tamen legis humanae, seu posito quod lex humana Ecclesiastica, aut civilis aliquid praeceperit ex intentione praecipiendi, et non solum dirigendi, aut ordinandi, per modum consilii, *supervenit lex divina*, jubens obedire superioribus Ecclesiasticis et politicis, parentibus et Dominis; quae *lex divina* superveniens *obligare potest et obligat ad peccatum*, *etiam mortale* et ad poenam aeternam, seu ejus transgressio reos nos facit poenae aeternae. Quod lex divina obliget ad obediendum 1. potestati Ecclesiasticae patet ex Scri-
Luc. 10. v. 16. ptura: *Qui vos audit me audit*, *et qui vos sper-*
Hebr. 13. v. 17. *nit*, *me spernit*: *obedite Praepositis vestris*, etc. 2.
Rom. 13. v. 5. civili, *Qui resistit potestati*, *Dei ordinationi resistit.*
Eph. 6. v. 1. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 3. Parentibus, *filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est*
Ibid. cap. 6. v. 6. *mandatum primum in promissione.* Denique Dominis, *servi obedite Dominis carnalibus*, *ut servi Christi*, *facientes voluntatem Dei ex animo.* Et sane, (» natura ipsa docet, *inquit bene Vasquez*, *d. 158.* (2. Parentibus et Superioribus non obedire, si notabilis materia est, scelus esse; est enim contra rectam rationem, majoribus non obedire: *naturaliter consequitur ut idem*, *disp. 152. cap. 8.* dignitatem capitis in aliqua congregatione, ut ei omnes parere et obedire debeant, alioqui si justum esset contra illius praeceptum operari; magna esset in manibus, et in tota congregatione confusio. Quis autem gentilium hactenus dixit, inhonestum non esse majoribus non obedire)? » Quod vero lex divina obliget etiam ad mortale et poenam inferni, patet saepe saepius ex Scriptura, sicut et Deus in tribunali suo potest tales poenas infligere; *et sane quod disponat rationi in gravi materia*, *Deo graviter displiceri*, *ac proinde ejus amicitiam erga nos dissolvi*, *ex se poenam aeternam mereri.* Hoc modo itaque seu *mediate*, lex Ecclesiastica et civilis, e praecepta *parentum* et *Dominorum* obligare possunt, ad peccatum etiam mortale, et sub poena inferni non ex seipsis, sed ob divinam legem supervenien-

tem; et hac ratione, nec alias, obstringere possunt conscientias.

4. Porro sic explicata potestate humana, seu obligatione legis humanae, Protestantes eam nec negant, nec negare possunt. Nam 1. admittunt Ecclesiam et Reges potestatem habere leges condendi, et varia praecipiendi, sicut et parentes, et Domini aliqua possunt praecipere, subditosque debere obedire illis. 1. Scriptura jam allata, et ratione ipsa hoc dictante. 2. Nostrorum Deviorum disciplina plurimum praecipit, eaque sub poenis et censuris suspensionis a coena et excommunicationis 14. capita continet, et articulos 251. hoc est, fere totidem ordinationes, praecepta, leges. Cap. 5. art. 16. habetur: *Rebelles consistorio, suspensione a caena puniantur*: cap. 10. art. 3. jejunia certis diebus indicuntur, art. 5. *Non fient Eleemosynae publicae in funeribus.* Cap. 14. art. 27. *Qui choreas ducunt, vel eis assistunt, excommunicabuntur.* Art. 29. *Qui chartis ludent, censura afficientur.* Varia prohibent connubia, cap. 13. art. 13. *cum ea, cum qua adulterium vir commiserat vivente uxore, etc.* art. 12. *cum vidua fratris uxoris suae, etc.* cap. 5. art. 31. *Qui Synodi nationalis resolutioni noluerit acquiescere, abscindetur ab Ecclesia.* Art. 8. *Ecclesiae gubernatio regulabitur ex disciplina in Synodis nationalibus statuta.* Cap. 14. art. 33. *Non erit in potestate ministrorum aut Synodorum Provincialium quidquam addere, mutare, imminuere in articulis disciplinae absque consensu Synodi nationalis.* Potest vero ista Synodus quae voluerit statuere, et in Conf. art. 32. *Possunt esse ordinationes particularis cujusque loci, seu Ecclesiae.* Art. 33. *Recipimus quae sunt apta nutriendae concordiae, et unoquoque in officio suo continendo; in quo debemus sequi quod Dominus declaravit quantum ad excommunicationem, quam approbamus et fatemur esse necessariam, cum omnibus suis circumstantiis.* Et de potestate civili, art. 39. *Credimus velle Deum mundum gubernari legibus Regum.* Et art. 40. *Oportet ergo obedire eorum legibus et statutis.*

Nec etiam negant lege divina praeceptum esse,

obedire Praepositis spiritualibus, Regibus, Magistratibus, Parentibus. Nec inficiantur transgressionem legis divinae esse peccatum, et saepe mortale. Imo, (» ubi est transgressio legis Domini, *docet Calvinus instit. lib. 2. cap. 8. §. 58. 59.* ibi parata est maledictio Dei. Omne peccatum est mortale, cum sit rebellio contra voluntatem Dei, quae necessario provocat iram ejus, cum sit transgressio legis, in quam denuntiata est mors aeterna, sine exceptione ulla »). In quo ergo potest esse dissensio Protestantes inter et Catholicos; cum Protestantes negare nequeant praeceptum illud divinum sic obligans, nec nos alio quam ex praecepto illo divino, seu *mediate*, leges humanas obligare posse ad peccatum mortale dicamus?

En ergo in hoc, hallucinatione semota, *pax coalita.* Quae porro leges humanae vere praecipiant, et quae vere sint praecepta, quae autem sint solum instar consiliorum et ordinationum, seu directionum, quaeque etiam obligent, solum ad poenam temporalem, quae dicuntur *leges solum paenales*, pendet hoc ex intentione Superioris, et terminis legis, seu praecepti, quod non est controversiarum spectantium fidem. Nec porro dicimus superiores Ecclesiasticos, aut civiles, parentes, seu dominos posse quodlibet praecipere. Sed. (« par est ratio, *inquit bene Vasquez, disp.* 154. *cap.* 3., ferendi novas leges in Ecclesia, aut Republica, et in Religione, seu statu religioso, quod attinet ad hoc, ut nihil novi statuatur, quod non pertineat ad pristinum statum cujuscumque conservandum. Quare qui leges prudenter ferunt in Republica vel Ecclesia, haec observare debent, ut id quod praecipitur, illiusque observatio ad finem cujusque pertineat. At pro libitu ferre legem, certe non licet. Non est tamen *Subditorum* judicare de injustitia, aut inconvenientia legis, nisi manifesta esset ejus iniquitas, aut inutilitas; interim enim pro legislatore praesumendum est »). A quibus nec dissentiunt Protestantes, ut patet ex confessione nostrorum Deviorum, Art. 32. et 33. supra relatis, ubi habetur (« Qui in regimen eliguntur, videant quem modum servare debeant, toti corpori regendo, nec

declinent tamen ullo modo ab ordinatis a Christo, etc. »). Idem dicimus de restrictione harum potestatum. Sic in hac materia facile consentimus distinctione illa adhibita, *mediate* vel *immediate*. Si non obstante illa dissentiunt adversi, manifeste sibi ipsi contradicunt. ut patet ex dictis.

5. Non est de Fide, de ullo praecepto pure humano, illud obligare ad peccatum mortale, v. g. esse obligationem audiendi Missam in diebus Dominicis, vel communicandi in paschate, etc. Diximus *pure humano*, quia non loquimur de praeceptis Apostolicis, nec enim Devii disceptant multum de iis. Probatur facile 1. Quia Ecclesia nullum proponit tanquam revelatum in Verbo Dei. 2. Hoc ipso quod sic humanum est, non est revelatum a Deo; quomodo ergo posset divina Fide credi? 3. Nequidem revelatum est a Deo, quod exstet tale praeceptum, multo minus quod obliget sub peccato mortali. Quis ergo non videt, non esse in Verbo Dei, audienda est Missa diebus Dominicis, etc.? Verissimum tamen est et manifestum: 1. exstare talia praecepta humana. 2. Esse potestatem in Ecclesia talia ferendi sub obligatione peccati mortalis *mediate*, ut ostendimus, si ex intentione vere praecipiendi Ecclesia haec sanciat. 3. Constat ex sensu communi et interpretatione, Ecclesiam habere intentionem vere praecipiendi. Patet itaque *jejunia Ecclesiae* v. g. obligare ad peccatum mortale *ex communi interpretatione*. Addit Cajetanus *verbo jejunium*, loquendo de jejunio; (,, hoc ego non audeo ex jure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse praeceptum obligans ad mortale non jejunantem; et propterea quantum est ex jure scripto, nullum cognosco intervenire peccatum mortale in fractione jejunii Ecclesiae, si desit contemptus. Aperta falsitas est, *inquit Vasquez. disp.* 154. *cap.* 2. in ea esse opinione, ut observatio jejunii quadragesimalis aliaque Pontificia decreta sub reatu culpae mortalis non obligent »). Et idem de aliis communibus praeceptis Ecclesiae dicendum, confitendi semel in anno, communicandi in paschate, sanctificandi dies festos. Nec possunt adversi probare ullo Scripturae loco, Conciliorum, aut Patrum

testimonio, aut ratione, ea quae praecipiuntur humanis legibus, manere adiaphora seu indifferentia. Nos probavimus contrarium etiam *ex praecepto divino* obediendi praepositis. Quae porro, et quot leges, et praecepta humana in specie, seu in particulari, sint vere leges et praecepta et non simplices ordinationes, et instar Consiliorum ad nihil obligantes; quae etiam sint leges *pure poenales*, id est, obligantes solum ad poenam; quae denique obligantes ad peccatum etiam mortale, ut pendet ex intentione Legislatoris; ita colligendum est ex verbis legis, materia praecepti, qualitate et similibus, quae Theologi moralis est examinare, non nostri hic instituti, qui solum quae sunt credenda proponimus: quae autem ita sunt de facto, non possunt esse de Fide. Solum addemus duo; ne conquerantur Devii de onere hinc gravi manente in Catholicos, et propterea refugiant in ejus castra transire. 1. quod habet Cajetanus in summa, *verbo transgressio praecepti*. (,, Legis Ecclesiasticae intentio est, non injicere laqueos animabus, sed ad aedificationem Corporis Christi Mystici promovere: et hinc fit, ut non tam late multitudo praeceptorum obligantium ad mortale, jure interpretanda sit, ne loqueus multiplicatus contra animas censeatur. 2. Hinc etiam fit universalis regula; Quod in iis, quae sunt positivi juris, si absque contemptu, ex ignorantia puta (*id est non crassa nec supina*) aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo qui animum habet nullo pacto consentiendi contra praeceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum; quando non est intentio piae ac justae Matris Ecclesiae bonas ejusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo; et propterea tales apud Deum non incurrere excommunicationem, *seu ut habet Vasquez* 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 6. Facile excusantur a mortali transgressores, quando absque contemptu ex ignorantia non crassa nec supina, aut ex apparente aliqua ratione et excusatione legem non observant, qui alias parati erant ex animo illam observare, si scirent eam tum obligare. Neque praeceptum jejunii, aut audiendi Missam ita obligat, ut nulla causa excuset; qui vero bona Fi-

de putaverit causam similem esse, excusabitur a mortali «ut docet Cajetanus ».) Haec Vasquez. Sed de his pluribus Theologi Morales, seu Casuistae doctiores.

Dicto consensui faciliori placet adjicere istud: ingerunt ideotidem adversi discordiae serendae causa, et in odium traducendae religionis Catholicae, Tridentinum Concilium prohibere Catholicis lectionem Scripturae vulgari idiomate, Sed haec mera calumnia est; haec enim, nec aliud habet Tridentinum, sess. 18. Titulo, *Decretum de librorum Delectu.* (Cum Synodus adverterit hoc tempore suspectorum, et perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse; censuit ut Delecti ad hanc dispositionem Patres, de censuris librisque, quid facto opus esset diligenter considerarent atque etiam ad eamdem S. Synodum suo tempore referrent, quo facilius, ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquam zizania a Christianae veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare et statuere »). Nunquid ibi ulla vel levis mentio prohibitionis Bibliorum idiomate vulgari? Nec regula 4. *Indicis* vulgati quam falso adscribit Molinaeus et alii Tridentino, est ullo modo Tridentini Concilii. Nec unquam etiam fuit accepta in Gallia; quare in ea non obligat: *est enim verissimum*, inquit bene Vasquez, disp. 56. cap. 5. (« tunc legem non obligare quando non est promulgata, et non recipitur a populo, connivente et consentiente legislatore. *Adde quod in eodem indice habetur Regula 6.* libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et Haereticos nostri temporis disserentes non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est »). At certissimum est regulam hanc 6. non obligare in Gallia; ergo nec 4. quanquam nec illa quarta prohibetur absolute haec lectio. *Sed judicio*, inquit, *Episcopi stetur, et cum consilio Parochi, vel Confessarii lectionem eis concedere possint, quos intellexerint* inde *non damnum, sed Fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Variant leges humanae pro conditione locorum et personarum, sed quidquid sit, nihil ad nos, cum Regula illa nec sit Concilii, nec promulgata, nec recepta in Gallia, ac proinde non obligat, nec plures aliae.

7. Nec etiam ullus obligatur, quo sit Catholicus, legibus ullis Confraternitatum, nec eis subscribere, Rosarii, Cinguli S. Francisci, S. Monicae, Scapularis Carmelitarum, eorumque Bullae quae vocatur Sabbatina; uno verbo, *nihil horum in professione Fidei Catholicae, aut in Tridentino* habetur. Haud ergo propter haec morentur Devii Fidei Catholicae subscribere; nec Molinaeum audiant toties in haec blaterantem; Sophisten hoc est agere, *fallacia ignorationis Elenchi.*

§. 7.

De invocatione Sanctorum.

Constanter teneo sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes pro nobis offerre. Ita habet professio Fidei nostrae. Et Concilium Tridentinum sess. 25. fusius et explicatius: (« Mandat S. Synodus omnibus docendi munus sustinentibus, ut de Sanctorum intercessione et invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos: sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas Deo pro hominibus offerre; *bonum* atque utile esse suppliciter eos invocare, et ad beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum; qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idolatricam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in caelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire »). Ita Concilium. En ergo doctrina Fidei, quia a Concilio generali proposita.

A contrario sequitur 1. Non esse de Fide, sanctos in Caelo audire preces, quae illis fiunt a viventibus. Probatur 1. quia nec professio nostra, nec Tridentinum id habet, seu id non proponit, saltem expresse non credendum. 2. Cum doctissimi Theologi Concilio interfuerint, nec ignoraverint Protestan-

tes hujus seculi, sanctis hanc cognitionem inficiari; quin et ideo damnare invocationem, quod Beati preces vivorum in terris non audiant, abstinuit nihilominus Synodus, in ipso *decreto de invocatione*, ab hac definitione, scilicet *sanctos audire preces nostras.* Nonne tale silentium in tali occasione, argumentum etiam positivum videtur, censuisse id non esse de Fide? 3. Esto, sequatur necessario ex eo quod sunt invocandi, seu *bonum atque utile sit eos invocare*; jam supra diximus, non esse de Fide, quae sequuntur per necessariam consequentiam ex verbo Dei revelato, aut ex propositione ab Ecclesia Dei facta; Ergo licet Ecclesia proposuerit *credendum sanctos esse invocandos*, seu *bonum atque utile esse eos invocare*, et ex illa propositione sequatur necessario, illos audire; non propterea eadem Ecclesia proposuit, *Fide credendum ipsos audire.* Item licet in verbo revelato, saltem tradito sit, invocandos esse sanctos, et deinde sequatur *ipsos audire*, non propterea revelatum est, nec de Fide ipsos audire. 4. Quinimo Aug. lib. de cura pro mortuis, cap. 15. minime agnovit, hanc consequentiam esse veram; et quod plus est, dubius videtur fuisse, *an Sancti audiant preces nostras*, qui tamen certus erat, et docet eodem libro, cap. 4. *invocandos esse illos*, multo minus probat hanc auditionem *esse de Fide* praxis Ecclesiae; tum quia ex invocatione non sequitur necessario auditio precum, ut diximus; tum quia praxes Ecclesiae possunt aliquae fundari in opinione probabili, ut fusius relatum. Verum tamen est sanctos de facto audire preces nostras, Deo illas illis revelante, et aliis modis explicatis ab Augustino et Gregorio Magno. Quod autem dubius fuerit in hac re Augustinus, inde manavit, quod dubitaverit an beatorum animae sint in caelo, et fruantur clara visione Dei ante resurrectionem, seu diem Judicii, quod definitum jamdiu fuit ab Ecclesia *in Concilii Florentini definitione*, et quod admittunt adversarii, licet Calvinus contrarium senserit instit. lib. 3. cap. 25. §. 6. Idem tamen Augustinus docet, et probat multos sanctos, postquam coelo recepti fuerint, et beata visione Dei felices fuerint, *videre omnia*, *etiam unde sunt absentes*, *cum Deus*

erit omnia in omnibus, lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29.

2. Sequitur non esse de Fide, sanctos esse mediatores nostros, et non solum Christum. Probatur 1. quia id non habetur in nostra professione, nec in Tridentino. 2. Variant in hoc Patres et Doctores nostri, prout diversimode nomen *mediatoris* accipiunt. Chrysost. Hom. 7. in Epist. ad Tim. accipit pro eo, qui *ambarum naturarum particeps est*, *divinae et humanae*; Augustinus contra Parm. lib. 2. cap. 8. accipit pro eo pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, et sic uterque solum Christum mediatorem esse docet; et optime alii latius pro quolibet mediante vel intercedente, et sic tum viventes tum sanctos in coelo dicunt esse mediatores pro omnibus pro quibus orant, sicut et Paulus, *in manu mediatoris*, scilicet Moysis, legem esse a Deo datam dicit ad Galat. 3. v. 19.

3. Mera et impudentissima est calumnia Molinaei, dicentis in novitate, lib. 7. cap. 12. *in Litaniis dicitur*, sancte Petre, ora pro nobis; *sed B. Virgini non dicitur*, sancta Virgo, ora pro nobis, *sicut nec Christo*. Alia item calumnia, *qui orant sanctos, non solum petunt ipsos Deum orare pro nobis; sed creditur S. Nicolaum posse placare mare, etc.* Plenus est his calumniis in omnibus fere materiis controversis, quo avertat populum a doctrina Catholica. Absit ut haec Fide credamus; imo abominamur. Et, ut ait Augustinus alia occasione contra Faustum Manichaeum, lib. 20. cap. 21. (« Alia est disciplina Christianorum, alia error infirmorum; et quisquis in errorem dilabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur »). Alia subtilior calumnia est ejusdem Molinaei dicentis, jussos nos invocare sanctos. Falsum id est, ut patet ex relatis ex Tridentino, docente solum *bonum atque utile esse sanctos invocare*, nulla mentione praecepti facta: quamquam peccaret, qui dubitaret *an licitum sit eos invocare*, et hoc sensu, *an sint invocandi*, et propterea ab invocatione abstineret; quamquam etiam ex particulari officio teneantur aliqui ex praecepto, v. gr. beneficiarii aliquando recitare Litanias Sanctorum.

4. Sequitur non esse de Fide, Sanctorum Canonizationem, seu sanctos quos invocamus, esse sanctos et beatos, v. g. Laurentium, Vincentium, Gervasium, etc. Blasium, Chrysostomum, Ambrosium, Dominicum, Franciscum, eto. iis exceptis qui tales in Scriptura nobis exhibentur, v. g. Stephano, de quo dictum est, *obdormivit in Domino.* Probatur 1. quia id non habetur in professione Fidei nostrae, nec in Tridentino. 2. Nihil habetur in verbo revelato, seu scripto sive tradito, ut patet, cum nati fuerint hi sancti longe post verbum scriptum, et Traditiones Apostolicas. 3. Quinimo nec de Fide est, hos homines exstitisse, multo minus sancte vixisse, sicut nec canonizatos fuisse, ut patet:. certe haec omnia sunt quaestiones facti, non juris, ut evidens est. 4. Canonizantur maxime ex miraculis factis post tempora Apostolorum, quorum miraculorum plenae sunt vitae Sanctorum, tum in vita tum post mortem ab eis editorum. At nullum talium miraculorum etsi revelatum in Verbo Dei, proinde nullum est de Fide divina: quomodo ergo canonizatio ex illis facta, seu judicium Ecclesiae quod sint sancti, esset Fide divina credendum? Nullae ergo Bullae canonizationum, quae fere omnes sunt Romanorum Pontificum, et continent quaestionem, seu doctrinam *facti*, scilicet hunc vel illum esse sanctum, facient rem de Fide. Ex quo rursus dicimus, ne quidem *infallibilem esse* in his canonizationibus Papam aut Concilia etiam generalia. Probatur ex dictis in Regula Fidei, ubi asserimus: *Conveniunt omnes Catholici posse Pontificem et generale Concilium errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione testimoniisque hominum praecipue pendent*; et probavimus ex Bellarmino ipso concedente, Conc. Generale 6. errasse in damnatione Honorii Papae tanquam haeretici, ex falsa informatione; ergo multo magis errare possunt Pontifices ex informatione falsa. Gravissima tamen est auctoritas ex hac canonizatione, et temerarius omnino foret et plectendus, qui post talem canonizationem, quae ex informatione exactissima miraculorum et vitae praeteritae sancti fit, negaret canonizatum illum esse sanctum, aut de eo

Actor. cap. 7. v. 57.

dubitaret: sicut supra diximus, gravis esse auctoritatis, quod a Pontifice Romano ex Cathedra definitur in docrina, et gravioris, quod definitur ab eo in Concilio Provinciali, praesertim cum toti Ecclesiae proponit in canonizatione, hunc vel illum esse sanctum. Nec propterea non est honestum, invocare sanctum illum, praxisque Ecclesiae illum invocandi post talem canonizationem est culpanda, aut est incerta: quia praxes pleraeque Ecclesiae etiam universalis *possunt fundari in opinione solum probabili*; quanto magis in canonizatione quae rem reddit certam, v. g. Franciscum esse sanctum et beatum, licitum est, ut utar verbis Tridentini, *bonum atque utile Sanctum illum invocare*? Et qui aliunde tenerentur ad invocationem, v. g. beneficiarii ad recitandas aliquando Litanias Sanctorum, tenerentur ad illum invocandum, nec sufficiens foret illis excusandis ab invocatione talis Sancti, obtendere non esse de Fide, illum esse sanctum; quia praxes et praecepta, etiam ex opinione probabili, possunt manere et habere suam vim ad obligandum.

§. 8.

De Imaginibus.

Professio Fidei nostrae hoc habet, nec aliud. *Firmissimè assero Imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.* Et Tridentinum, sess. 25. statuit: (» Imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas; eisque debitum honorem et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, qui in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui exhibetur, refertur ad prototypa quae illa repraesentant, ut per Imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum

adoremus, et Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, praesertim vero S 2. Nicaenae Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores sancitum. Quod si aliquando historias et narrationes Sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspioi, vel coloribus aut figuris exprimi possit. ») Haec Concilium; unde patet Imaginum cultum esse de Fide, quia propositum ab Ecclesia universali.

Ita contrario sequitur 1. Non esse de Fide, SS. Trinitatis, aut Patris, aut Spiritus Sancti separatim, Imagines habendas aut retinendas esse, atque eis honorem ac venerationem impertiendam. Probatur 1. quia non proponitur in professione nostra, nec in Tridentino, ubi solum habetur, *si figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel figuris exprimi possit*, quod longe est aliud a definitione, *eas habendas, et venerationem impertiendam.* Nec praxis frequens in Ecclesia, habendi hujusmodi Imagines, et venerandi, seu Deum per eas adorandi, sufficit statuendo articulo Fidei; quia ut dictum est supra, *Non omnes praxes Ecclesiae etiam universalis sunt sufficientes fundando articulo Fidei Catholicae*, sed possunt inniti opinione etiam solum probabili; ut ibidem demonstravimus. 2. Nec Scriptura, nec Traditio Apostolica id habet; imo probabile est Deum vetuisse Judaeis in Decalogo, praecepto illo, *Non facies tibi sculptile*: expressius vero. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti, faceretis vobis sculptam similitudinem, aut Imaginem masculi vel faeminae.* 3. Licet in Tridentino fuerint doctissimi Theologi, et litis motae a Protestantibus de quibusvis Imaginibus haud ignari, et etiam censuerint Doctores aliqui Catholici, quos mox referemus, id non esse licitum; tamen abstinuit Synodus ab hac doctrina definienda, et solum dixit Imagines Christi et Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim ha-

Exodi cap. 20. v. 4. Deut. cap. 4. v. 15.

bendas, etc. Nonne silentium Tridentini in tali circumstantia videtur testimonium positivum quo probetur, hanc doctrinam excludendam esse a Fide? (« 4. Aliqui Catholici, *inquit Vasquez*, *3. parte*, *disp. 113. c. 3.* Henricus, Abulensis, Durandus, Martinus de Ayala affirmant non licere ullo modo Trinitati, sed solum Deo in humanitate, quam assumpsit, imaginem effingere. Alia opinio quauqnam non adeo certa est, ut tanquam Fidei dogma sit amplectenda, multo tamen verior mihi videtur, et quae sine temeritate contra communem Ecclesiae usum negari non potest, in universum asserit Trinitatem depingere, ex natura rei licitum esse, et Imaginem Spiritus Sancti in specie columbae. *Quod probat multis.* Et confirmatur, *inquit*, usu Ecclesiae frequentissimo eadem sententia; quae passim Romae et aliis in locis Trinitatis Imaginem adorandam (*seu venerandam*) populo proponit. Quamvis autem Concilium Tridentinum eo capite nihil certi statuat et definiat; praecipit tamen, ut si quando historias Sacrae Scripturae contingat describi (intelligit in quibus etiam Deus depingendus est; id quod nec damnat, nec tam serio, quam sanctorum hominum et Christi Imagines approbat, explicetur populo id non fieri, quia Deitas oculis corporeis videri possit, sed ut inde humano more cognitionem virtutis ipsius incorporeae veniamus. ») Haec Vasquez cui subscribimus.

2. Non solum non est de Fide, sed nequidem certum est, Deum non vetuisse Judaeis omnem usum Imaginum. (« Non pauci auctores, *inquit Vasquez disp. 104. cap.* 2. quorum opinio mihi multo probabilior semper visa est, dicunt Judaeis non solum adorationem illam gentilium, quae naturali jure prohibita est, verum etiam quemlibet usum Imaginum et Statuarum, praecepto Dei positivo, Exodi 20. etc. fuisse interdictum. Sententia est Alexandri, Alberti, Bonaventurae, Richardi, etc. Ex quibus Alexander, Albertus, Bonaventura, Marcilius, Abulensis de Imagine Dei solum dicunt illi populo omnino vetitam fuisse, caeteri autem absolute de omni in universum loquuntur. Ex iis autem solus est Abulensis, qui putat jure naturali non esse permissum

Dei Imaginem effingere; caeteri vero videntur docere solum antiqua lege usum illius fuisse sublatum. *Et cap. 6.* Quod vero circa latera Arcae duae figurae Cherubinorum positae fuerunt, respondere quis posset cum Catharino, eas omnes figuras seu Imagines, factas fuisse jussu Dei, qui praecepto suo nomine, aut ea parte derogare potuit; aut respondeo, lege veteri non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocumque, sed omnem cultum et adorationem ipsius, atque adeo omnem quoque Imaginem seu effigiem modo accommodato adorationi erectam aut constitutam: quare nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis, aliquem cultum fuisse delatum. Modus autem accommodatus adorationi est, cum Imago depicta aut sculpta est per se, non veluti appendix et additamentum alterius rei, in ornatum illius.

3. Quod ad cultum spectat, longe longius est a Fide *adorandam esse Imaginem* ne quidem Christi, multo minus Sanctorum, quin nequidem adorationis mentio est in professione nostra, aut in Tridentino, nec proinde in Nicaeno, quia Tridentinum sequitur illud, nec adorationis meminit. Quod ergo cultus ille nominetur aliquando *adoratio*, quaestio est de nomine. Certe populus intelligit *adorationis* nomine *cultum latriae absolutum;* ille autem sine dubio non redditur, nisi soli Deo, et blasphemum esset illum reddere *ulli* Imagini. Cumque dicimus, *nos adorare crucem*, sensus patet, ex iis quae retulimus ex Tridentino, scilicet, *per illam quam osculamur, et coram qua caput aperimus, et procurabimus, Christum adoramus.*

4. Nec de Fide est, cultum delatum Imaginibus esse *Religiosum*: cum nec de Fide sit, cultum delatum Sanctis ipsis, esse Religiosum, ut paulo post dicemus.

5. Longe longius abest a Fide Catholica, cui calumniose id adscribit Molinaeus et alii *adorandas latria Imagines Dei*, et eadem qua adoratur Deus, seu *eadem veneratione cum exemplari Imagines honorari.* Probatur 1. Quia id non habetur in professione nostra, nec in Concilio Tridentino aut alio universali. 2. Quia varia sunt placita problematica

Theologorum, relata a Vasquez, disp. 108 cap. 1. circa hanc quaestionem, seu modum cultus. 1. (« Sententia est, *inquit*, Imagines ut terminum proximum et integrum adoratione quadam ipsis peculiari, qui exemplar non comprehenditur adorari, etiamsi in ipsis exemplaria quoque adorentur, eamque adorationem inferiorem et distinctam esse ab adoratione exemplaris, quam ipsi honorariam appellant. 2. Sententia fatetur cum prima, quoties Imagines per se adorantur ab exemplari divisae, inferiori quadam adoratione coli, etiamsi illa propter exemplar tribuatur; cum vero adorantur per accidens conjunctae scilicet prototypo, tanquam aliquid illius, eadem adoratione latriae cum ipso per accidens adorari. 3. Sententia, quam ego veram existimo, est, motum adorationis in Imaginem, ita in ejus prototypon, et exemplar transire, et utrumque sub eadem veneratione cadere, ut nec sola cogitatione Imago per se, sine illo, vel ab eo separata, adorari possit; non solum quia necesse propter exemplar, tanquam propter rationem remotam, sicut legatum propter Regem, Imaginem coli, sed quia qui imaginem adorat, in ea quoque et per eam, exemplar ut terminum et materiam proximam adorationis necessario venerari debet; ita Alexander, Cajetanus, Bonaventura, etc. et hi non solum docent Imaginem cum suo exemplari eodem motu adorationis posse adorari, verum etiam ipsam per se nisi exemplar contineat et cum eo conjungatur, non esse alicujus venerationis et adorationis capacem, ac proinde nonnisi cum exemplari, cum quo integrum et proximum terminum adorationis constituit esse colendum. *Quam ultimam sententiam fuse probat cap. 4. 5. 6.* Conciliis, Patribus et rationibus. *Addit, et bene cap. 11.* eodem modo atque Imagines, nomen Jesus, et alias res sacras esse adorandas; *et cap. 12.* Idem modus in Sacramento Eucharistiae, seu signorum adoratione servandus est. *Et disp. 109. cap. 1.* Major, *inquit*, crucem adorari latria per accidens: Corduba, adoratione latriae analogico: Durandus, solum adorari rememorative: Alexander solum asserit Imaginem esse materiam adorationis latriae. Henricus dicit, Imaginem Christi hyperduliae adoratione esse colendam »).

Ita varii varie et sentiunt et loquuntur de modo, et specie cultus Imaginum. Tridentinum, ut patet, ab iis omnibus abstrahit, seu silet, dum prudenter, nec aliud docet, *eis debitum honorem et venerationem impertiendam.* Quare nihil praedictorum est de Fide; proinde intra septa Scholastica sola contineantur; nulli horum subscribere, quo Catholicus sis, teneris. Subscribe Tridentino.

6. Hac secretione facta, Dajllaeum Catholicum esse in cultu Imaginum, aperte demonstrari potest.

§. 9.

De reliquiis Sanctorum, et earum veneratione.

Professio nostra haec habet: *Constanter teneo Sanctorum Reliquias esse venerandas*, nec aliud. Tridentinum, sess. 25. (« Mandat Synodus Episcopis et caeteris, ut de Reliquiarum Sanctorum honore fideles instruant, docentes eos Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, 1. *Cor. 3. v. 17.* ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse; per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta, a fidelibus inutiliter venerari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia »). Haec ibi nec plura. Quare ut haec sunt Fide credenda, quia proposita a Concilio universali, ita a contrario non sunt de Fide, quae non proposita a Concilio, sicut supra diximus de Imaginibus. 1. Adorandas esse Reliquias, nequidem Christi, multo minus B. Virginis, aut Sanctorum. 2. Nec de Fide esse, venerandas esse cultu, qui sit et dicatur *Religiosus*, potius quam dubiae observantiae aut alio speciali nomine. 3. Longe etiam abesse a Fide eas eadem veneratione cum exemplari honorari, non autem alia, sicut nec venerationem istam esse, aut vocandam esse *per se*, vel *per accidens*, *venerationem analogicam secun-*

dariam, etc. sicut diximus de Imaginum veneratione. Probatur 1. quia nihil illorum determinate, vel in specie, habetur in Tridentino, nec in professione nostra. 2. Quia varia sunt placita problematica Theologorum in his quaestionibus relata a Vasquez, 3. parte, disp. 113. ubi recte, cap. 2. (« Eodem prorsus modo de Reliquiis, atque de Imaginibus universim esse dicendum: eas videlicet secundum se honorari non posse, sed solum conjunctas cogitatione cum eo cujus reliqua sunt, cum in ipsis apprehendo, sicut Imagines sine exemplari venerari nullo modo licet, *quod fusissime probat*; *praesertim* quia res inanimae, quales sunt Reliquiae, secundum se non sunt capaces contumeliae; ergo nec honoris, etc. »). Affirmant nihilominus aliqui, Reliquiis secundum se, sine eo cujus sunt, cultum posse deferri animo; nullum alium modum eas colendi constituunt. Alii vero nonnisi conjunctas colunt, etc. ut supra de Imaginibus. Eamdem esse rationem cultus Reliquiarum et Imaginum supra jam ostendimus. Missa haec omnia facimus, tanquam extra septa Fidei.

2. Longe longius abest a Fide has vel illas Reliquias, quae in hoc vel illo templo *coluntur*, esse hujus vel illius Sancti, cujus tanquam Reliquiae proponuntur colendae. Probatur 1. quia nihil horum habetur in professione nostra, aut Tridentino. 2. Quia sunt quaestiones facti, ex informatione aut aliis capitibus pendentes. *In controversiis autem facti particularibus*, *quae ex informatione testimonii hominum praecipue pendent*, etiam *Papam et Concilium generale posse errare*, *conveniunt omnes Catholici*: multo magis Ecclesiae particulares falli in his possunt. 3. Diximus *praxes Ecclesiae etiam universalis*, quandoque posse fundari in opinione solum probabili; quanto magis praxes particulares hujus vel illius Ecclesiae, has vel illas Reliquias proponentis publice colendas, et de facto colentis? et cum regula praxeos sit prudens judicium, sufficit honestando cultui hujus vel illius Reliquiae, quod prudenter ex variis testimoniis, seu probationibus judicetur esse Reliquiam hujus vel illius Sancti, et si contingeret de facto non esse illius, aut nullius,

nihil propterea decederet sanctitati cultus illius particularis, ut supra dictum de Canonizatione Sanctorum. Et bene Vasquez, disp. 112. c. 8. (« Quod apud aliquos incertae aliquando Reliquiae sint, non obest quominus eas, quas humanis conjecturis, et rationibus certas habemus, reverenter colere debeamus. Itaque si quis putans aliquam esse particulam Sancti, quae revera non est, merito suae devotionis non caret. Ut tamen publice colendae proponantur, prudens diligentia adhiberi debet, *eaque major, quam* cum privatim, quod licitum est, eas deferimus, *et colimus. Placet et illud aliud addere ex eodem Doctore, disp. 113. cap. 4.* Qui Rosariis et aliis rebus pretiosis, Reliquias Christi aut Martyrum tangunt, et secum servant, non debent existimare ex contactu illo virtutem aliquam aut excellentiam, imo nec corporalem, in res ipsas ex Reliquiis derivari; sed inde manere respectum rationis ad ipsas, ratione cujus memoriam ipsius Christi, et Sanctorum in nobis excitant, et ad eorum venerationem affectum movent, atque hac sola ratione non superstitiosum, sed pietatis et Christiani cultus opus censeri debet »).

Hac secretione facta, patet, 1. inaniter blaterare Molinaeum in Reliquias varias, quas non esse Sanctorum, quorum habentur, inimice more suo disputat. 2. Consentire Daillaeum in cultu Reliquiarum, ut supra ostensum.

§. 10.

De Cultu et honore Sanctorum.

Professio nostra habet: *Constanter teneo Sanctos una cum Christo regnantes venerandos esse.* Et Tridentinum, sess. 25. *Christum adoramus et Sanctos veneramur*; nec plura. Quare sequitur non esse de Fide, honorem illum esse, et vocandum *Religiosum*, seu quovis alio specifico nomine. Probatur 1. Quia nihil horum habetur in professione nostra. Et Trid. 2. Quia variae sunt doctorum sententiae, quas fuse refert Vasquez, et excutit, 3. part. disp. 98. 99. 130. (« Marsilius existimat, *inquit D. 98 cap.*

1. eamdem virtutem reipsa esse latriam, quam dixit versari circa cultum Dei, et duliam circa cultum et honorem Sanctorum, solum autem differre per diversa connotata. Vera tamen sententia est duliam peculiarem esse virtutem, a latria, aut religione distinctam, qua Sancto cultum exhibemus. Atque adeo religionem circa cultum solius Dei versari: sic tradunt Abert. Durand. Bonavent. etc. An vero sit una et eadem virtus, quae Sanctis et omnibus in dignitate civili constitutis honorem adhibet, non satis convenit inter doctores. Aliqui videntur sentire, unam et eamdem esse virtutem; sic Bonavent. Albert. Gab. a). Quae brevius jam diximus et deduximus.

Hac secretione patet, Protestantes non dissentire nec posse dissentire a doctrina Catholica; nec enim venerationem omnem negant Sanctis debitam in Caelis, cum hominibus pie viventibus agnoscant reddendam, et reddant in terris. Quin et Drelincurtius libello hac de re scripto honorem religiosum B. Virgini deferendum sentiat. Plus ergo credit quam opus sit, quo sit in hac materia Catholicus.

§. 11.

De Christi praesentia in Eucharistia.

Ita habetur in professione fidei nostrae: *Profiteor in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter, corpus et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi.* Et in Trid. sess. 13. can. 1. (« Si quis negaverit in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento (*seu* sub specie rerum sensibilium, *ullius ut exprimit in cap. 1. mox referam*) contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura aut virtute, anathema sit. *Et ibidem cap. 1. cum dixisset*: Principio docet sancta Synodus, in Eucharistiae Sacramento, Christum vere, realiter, ac substantialiter

sub specie illarum rerum sensibilium (*panis et vini*) contineri, *addit et docet*: Nec enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in caelis assideat juxta modum existendi naturalem; et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus; et constantissime credere debemus »). Haec ibi Concilium.

Quare realis praesentia ita expressa, id est, *sacramentaliter*, sub speciebus, est de Fide, quippe proposita est ab universali Concilio; sed nihil aliud est de Fide, nec aliter de realitate istius praesentiae, quia nihil aliud propositum a Concilio. Itaque haec dicamus, facilitantes Deviis doctrinam Fidei nostrae, in hac omnium gravissima materia, et captu difficillima.

1. Cum Paulus dicat, 1. Cor. 15. v. 4. de corporibus gloriosis in resurrectione, *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale; si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est, factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non prius quod spiritale est, sed quod animale.* Corpus Christi sub symbolis Eucharistiae potest dici corpus *spirituale*, et *non corpus animale*, et ipsemet ibi exsistens, potest dici *spiritus* vivificans, et *non in animam viventem.* 1. Patet ex se, ex Paulo. 2. *Christi corpus est in parva quantitate, totum in toto, et totum in quavis parte, ac si esset Spiritus*, inquit bene Vasquez, 3. part. disp. 187. cap. 2. Hinc Cyrillus Hieros. Cat. 5. vocat *spiritualem victimam*, quem offert Sacerdos in liturgia Christum.

2. Non solum Corpus Christi sub symbolis potest dici *spirituale*, et ipsemet Christus *Spiritus*, sed etiam sub symbolis *spirituali modo*, seu *spiritualiter*, et *non animali, nec corporali modo*, seu *corporaliter*, seu *carnaliter*. Probatur 1. quia est ibi ad modum Spiritus multipliciter; scilicet sicut Angelus est hic vel ibi indivisibilis, impatibilis, et totus in toto, et totus in qualibet parte,

est enim indivisibilis, et non frangibilis: ita Corpus Christi, seu Christus, est sub symbolis, *indivisibilis*, *impatibilis*, *et totus in toto*, *et totus sub qualibet parte*, quia ibi est indivisibilis, et non frangibilis. Modus vero existendi corporalis, seu corporaliter et carnaliter existere, est existere visibiliter, patibiliter secundum extensionem ad totum, seu totum in toto, et partem in parte, et frangibiliter: ergo Corpus Christi, seu Christus, est in symbolis *spirituali modo seu spiritualiter*, et *non corporali* seu *carnali*, *nec corporaliter*, *seu carnaliter* in dicto sensu. Probatur 2. horret animus dicere Christum esse natum de Virgine Matre, *carnali modo*, seu *carnaliter*, licet vere ex ea natus sit. Cur non et negabimus Christum esse sub speciebus *carnaliter*, licet vere sub illis sit. Probatur 3. Trident. profitetur, sess. 13. cap. 1.(» Christum semper ad dexteram Patris in coelis assidere, juxta modum existendi naturalem, et multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesentem nobis sua substantia adesse, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, et costantissime credere debemus. *Cur non et profitebimur* Christum semper ad dexteram Patris in coelis assidere juxta modum existendi corporalem, carnalem, corporaliter, carnaliter, *haec enim naturalem illum modum existendi sequuntur*, et multis nihilominus aliis in locis spiritualiter praesentem sua substantia nobis adesse ea existendi ratione, etc. »).

3. Totum quod diximus de corpore *spirituali* et modo illo *spirituali* existendi sub speciebus, potest etiam ob id dici de receptione et manducatione, scilicet *Christum manducari*, ut sacramentaliter ex Concilio, ita *spiritualiter*, *et spirituali modo*, et non *carnaliter*, seu *carnali modo*, ore tamen corporis. Patent haec ex se ex[illegible]is, et applicari hic facile possunt. Manducare corporali modo et carnali, seu *corporaliter et carnaliter*, est manducare ad modum, quo manducamus carnes alias, scilicet masticando, et dividendo carnem in ore, palato gustando ejus saporem, etc. Non sic manducamus Chri-

stum, ergo nec *corporaliter*, nec *carnaliter*, nec *corporali et carnali modo*, *sed spirituali et spiritualiter*. Adde etiam effectum manducationis *corporalis* et *corporaliter*, esse nutritionem corporis; at vero effectum manducationis Christi esse *gratiam per modum refectionis animae*, id est, vegetantem et roborantem animam, in operationibus vitae spiritalis, et sic esse *refectionem et nutritionem animae nostrae*, *quae est spiritus*; ergo etiam inde, scilicet ex effectu, potest dici *manducatio spiritalis et non corporalis*, seu non *carnalis*, seu non carnaliter et corporaliter in dicto sensu. Sed redeamus ad corpus sub speciebus.

4. *Non est de Fide*, imo falsum est, Corpus Christi contentum sub symbolis, esse, aut dicendum esse *sedens*, *jacens*, *rectum*, *aequale*, *aut inaequale alteri corpori vel loco*, *aut sibi ipsi sedenti in coelo*, *aut ita grande*, *crassum*, *longum*, *latum sicut in cruce*; aut *esse in symbolis*, seu *contineri in illis tanquam in loco*. Et ne quidem de Fide est, esse quantum sub symbolis, aut habere suam quantitatem. Probatur 1. quia nihil horum habetur in professione nostra aut in Tridentino. 2. Positive ex verbis allatis Tridentini, cap. 1. scilicet Christi Corpus sub speciebus, *esse praesens quidem sua substantia*, sed *sacramentaliter solum*, nec *juxta modum existendi naturalem*, neutiquam juxta modum existendi sacramentaliter. Ergo etc. Probatur 3. quia spiritus, v. g. Angelus praesens sua substantia alicubi, aut anima nostra praesens corpori, non est *sedens*, *jacens*, *aequalis aut inaequalis loco vel corpori*, nec *proinde est ibi commensuratus loco vel corpori*. At Corpus Christi, seu Christus sub speciebus est, et dici potest esse *Spiritus*, ut diximus: ergo nec illi quidquam supradictorum convenit.

5. Probatur et explicatur ex Vasquez, 3. part. disp. 187. cap. 2. („ Inter alias proprietates quantitatis haec tanquam praecipua recensetur, ut secundum illam, unumquodque aequale vel inaequale dicatur, quod sane provenit ex quantitate, quatenus habet modum illum seu proprietatem, siquidem ratione illius subditur mensurae, sine qua ae-

quale et inaequale nihil dicitur. Licet vero quantitas Christi, secundum essentiam et modum ipsius sit cum Christo in coelo, nihilominus in Eucharistia solum est secundum essentiam, non autem secundum modum. Hinc ea quae sunt in Christo aut alio corpore, absolute sine respectu, aut sine proximo fundamento hujus respectus ad locum, ubique cum illo debent esse; ea vero quae proxime habent ordinem ad locum, qualis est modus ille, aut sunt fundamentum existendi in loco, qualis est passio quantitatis, secundum quam res aequales et inaequales loco contineri et circumscribi dicuntur, non item; et hac ratione, cum Christus retineat in Eucharistia quantitatis essentiam, quae est absoluta a loco, tamen modum illum quantitatis, secundum quem aequatur et continetur a loco Eucharistia, non habet „). *Haec ibi Vasquez qui inde bene explicat*; quo pacto Corpus Christi cum sit quantum, non occupet locum, et intra parvam quantitatem specierum panis esse possit totum in toto, et totum in qualibet parte, quia non habet dictum modum quantitatis, et est ibi sicut *Spiritus*, seu *Angelus et anima*, quae est tota in toto corpore, et tota in qualibet parte ejus. Ex dictis saltem patet, quod sufficit nobis, *nihil praedictorum* esse de Fide. Quin imo refert ibidem Vasquez, cap. 1. quosdam Theologos docere, *Corpus Christi in Eucharistia non esse quantum*, licet suam habeat quantitatem, et alios etiam docuisse *esse ibi sine quantitate sua*; quae falsa quidem sunt, sed sufficiunt ad probandum *nihil praedictorum esse de Fide*; idest, non esse de Fide, Christi Corpus sub speciebus, *esse jacens*, *aequale*, *grande*, crassum, longum, latum sicut in cruce, etc. cum haec omnia sequantur quantitatem, et modum ejus supradictum. Sane sumpto saltem termino, *lati*, *longi*, *grossi*, ut populi communiter concipiunt, pro habente extensionem in ordine ad locum, quis non videt Christi Corpus sub speciebus, nec esse grande, nec latum, aut saltem *nihil horum esse de Fide*. Quare frustra blaterant adversi de combustione hostiae, etc. di quibus Vasquez disp. 191. v.g. si comburatur hostia, aut pedibus conculcetur, non propterea quidquam poenae patitur Corpus Christi; nec com-

buritur, nec pedibus calcatur, licet sub symbolis contineatur; sicut nec ex eo quod divinitas sit ubique substantialiter praesens, sequitur cum quid comburitur aut calcatur, divinitatem comburi, aut pedibus calcari. Item ex eo quod divinitas sit in pane, quem mus aut canis comedit, non sequitur divinitatem manducari a mure aut cane; ita nec ex eo quod forte mus aut canis rodat aut manducet hostiam seu symbola, et symbola manducentur, sequitur eos manducare Corpus Christi. Et sicut non est indignum divinitatem esse praesentem in mure, cane, imo et luto et sordibus, ita nec Corpus Christi esse in tali casu comestionis seu corrosionis symbolorum, praesens substantialiter muri aut cani, et ventri eorum, transmissione per guttur symbolorum; sicut etiam proportione servata, nec est indignum esse substantialiter praesens in pyxide, altari aut arca inanimatis. Et sicut ista non manducant corpus, licet contineant, ita nec canis dicendus foret manducare proprie Corpus Christi, licet manducaret symbola, et per illa sit praesentia substantialis, sicut est in ventre et omnibus rebus praesentia divinitatis substantialis; manducatur enim ab homine Corpus Christi, quia recipitur ut signum, *seu ut causa gratiae*; quomodo non est in pyxide, nec foret in ventre canis; quare a cane non dicendum foret *proprie manducari*, ut manducatur ab homine; nec mirum cum etiam adversariis, si canis manducet frustum panis coenae ipsorum, non propterea manducat Sacramentum, quia non manducat, qua signum est. Imaginatio nescio quem horrorem facessit in his conspiciendis. Sed missa haec omnia, cum sint extra fidem, quia extra Confessionem nostram et Tridentinum, sunt facienda.

6. Idem Vasquez, disp. 190. refert aliquos Theologos docere, *Christum esse in hoc Sacramento tanquam in loco per se*; alios Christum in hoc Sacramento non esse tanquam in loco, neque habere proprium *ubi* et distantiam, sicut nec Angelus, cum est praesens alicui corpori, in quo est, seu loquitur, quod ipse probabilius existimat.

7. Extra fidem, et intra septa scholastica confitendae sunt hae aliae quaestiones; 1. *An Chri-*

stus prout existens in hoc Sacramento, videri possit ab oculo corporeo, non naturali sed supernaturali virtute? Affirmat Vasquez et probat, *neque* agere, neque pati posse Corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, corporea actione, neque passione. 2. An existentia Corporis Christi in Sacramento (« pendeat ab existentia naturali extra Sacramentum. *Et*, An quaecumque imprimuntur Corpori Christi extra Sacramentum, necessario comitentur ipsum in Sacramento. *De quo 192. disp. cap. 3. longius amandandum, an Corpus Christi possit esse simul in pluribus* locis visibili modo et secundum extensionem, seu circumscriptive. *c. 4. Et adhuc longius, an aliud Corpus a Christo* possit esse in diversis locis simul, idque non tantum invisibili modo *et definitive*, sed etiam secundum extensionem, *de quo disp. 189. in quo censet nequidem Corpus Christi, posse esse* in diversis locis simul secundum extensionem, etc. »).

8. Longe longius est a Fide, imo falsum puto, *Christi Corpus produci de novo aut conservari* in Eucharistia per consecrationem; quod jam diu productum fuerit in utero Virginis, et conservetur aeternum in caelis: falsum etiam quod eo adducatur, falsissimum quod descendat e caelo ad altare, quasi relinquens caelum et transire per medium aerem. Commenta haec tamen fere omnia deludendis populis, Ministri falso doctrinae Fidei Catholicae adscribunt; quaeque Theologi aliquot in his materiis tenent, solum ut *opinionem probabilem*, Fidei Ecclesiae Catholicae, cui soli subscribere sufficit, hallucinati aut potius malitiose imponunt Ministri, secessioni, ex qua vivunt, fovendae in damnum maximum animarum, et pacis Ecclesiae ac Imperii. Solum dicimus Corpus Christi *esse praesens sub symbolis* virtute divina: quia *impossibile est mentiri Deum*. Hebr. 6. v. 18. seu ut utamur termino Confessionis Deviorum, Art. 16. *fit hoc virtute secreta et incomprehensibili Spiritus Dei*, seu per ejus omnipotentiam.

9. Secretione hac facta, vix est difficultas ulla, vel ad speciem, qua moti dissideant a nobis adversi: quia habet articulus 36. Confessionis eorum,

Credimus quod virtute secreta et incomprehensibili, nutrit nos et vivificat substantia Corporis sui. Si substantiam hanc praesentem animae substantialiter, quod necessarium est nutritioni quocumque modo fiat etiam per fidem, tenent indubitanter, quid praepedit eam cognoscere sub symbolis et corpori nostro? Praesertim cum ex eo quod anima nostra sit praesens corpori nostro, *substantia* Corporis Christi nequeat esse vere praesens animae nostrae, quin sit et corpori. Et pares sunt tum numero, tum pondere utriusque praesentiae substantialis, seu substantiae difficultates solvendae, si momentis suis aeque eodemque pondere exacte librentur. Sed utcumque sit, *Lutheranorum opinio*, inquit Daillaeus Apol. cap. 7. pag. 35. (« qui statuunt Corpus Domini esse realiter praesens in pane Eucharistiae, nullum habet venenum, non praejudicat pietati »). *Et pag. 31.* Non praejudicat eorum saluti ex eorum principiis; non creditum autem devolvit eos ad tartara ex nostris principiis? Quod securius est amplectantur: Daillaeo praesertim ipso generaliter pronuntiante, Epist. ad Munglatium, pag. 72. (« Credentem posse suam operari salutem in Ecclesia Romana, et tamen viventem extra ejus communionem nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse »). At ex eodem Daillaeo possunt suam operari salutem, credentes *Corpus Domini esse realiter* praesens sub symbolis Eucharisticis, seu hoc credere non *praejudicat* eorum saluti: credant ergo.

§. 12.

De Transubstantiatione.

De hac ita Professio nostra: *Profiteor in SS. Eucharistiae Sacramento fieri conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae Vini in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.* Et Trident. sess. 13. can. 2. (« Si quis dixerit in sacro-sancto Eucharistiae Sacramento, remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Christi,

negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit. *Et cap. 3. quod inscribitur* de Transubstantiatione: Quoniam Christus Corpus suum id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum in Ecclesia Dei semper fuit, idque nunc denuo S. haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus; quae conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata »). Haec ibi Concilium, nec plura. Quare ut haec sunt de Fide, quia haec sunt in professione nostra, et proposita a Concilio Generali; ita a contrario, nulla alia doctrina de Transubstantiatione est de Fide Catholica; quia nec in professione nostra, nec in Concilio Tridentino, aut alio generali, licet fovendae discissioni, ex qua vivunt, frequentissime varias, et plerasque partim valde exosas populis, partim blasphemas Fidei Catholicae adscribant Ministri et imponant. Explicatius haec dicamus. Quare 1. *non est de Fide*, imo blasphemum in hoc mysterio transubstantiari panem in Corpus Christi, sicut panem quem comedimus transubstantiatur in corpus nostrum; aut *per transubstantiationem fieri, ut materia panis incipiat esse sub forma corporis Christi*, sicut cum panem comedimus, materia panis per nutritionem incipit esse sub forma corporis nostri. Probatur 1. Quia non habetur id in Tridentino: imo contrarium; si enim id fieret, non fieret conversio totius substantiae panis in Corpus Christi, sed materia illius duntaxat transmutaretur, sicut in nutritione nostra ordinarie fit. 2. Quia si ita esset, Christus esset corruptibilis, augeretur, minueretur, ut fit cum panem comedimus, et mutatur in corpus nostrum. Nec de Fide est, *Transubstantiationem fieri ex eo, quod de novo producatur Corpus Christi, aut conservetur*: etiam supra diximus Corpus Christi in Eucharistia

nec produci de novo, nec conservari de novo: *aut saltem per illum modum substantialem aut accidentalem produci*, quae productio, conservatio, aut modus substantialis, aut accidentalis, aut per quae sit incompossibile Corpus Christi, aut Sanguis cum substautia panis, aut vini, et per illam incompossibilitatem eam expellat, sicque et hac ratione *Transubstantiatio* fiat. Imo Corpus Christi, et substantia panis, non sunt ex se incompossibiles.

Probatur 1. Quia nihil horum habetur in professione nostra, aut Tridentino. 2. Quia Vasquez et cum eo plurimi, falsa esse haec omnia et singula variorum Scholasticorum placita demonstrat. Falsum inquam esse multis probat, disp. 181. cap. 3. (« Transubstantiationem formaliter esse actionem, per quam modus aliquis substantialis producatur »).

(« 2. *cap.* 4. *et* 5. Transubstantiationem esse conversionem ipsius Christi, seu productionem novam »).

(« 3. *cap.* 5. Transubstantiationem esse novam *conversionem* Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia »).

(« *Et cap.* 9. praedictum modum conversionis, eum supervacaneum esse ex veritate verborum consecrationis, et ex fine Sacramenti ostenditur »).

Quae sit horum opinionum verior, quanquam falsas hae omnes esse arbitremur cum doctissimo Vasquez, non est nostrum hic discutere; sufficit inde probari, longe haec esse a Fide, ex doctorum omnium nostrorum sententia; quorum nec unus somniavit aliquid horum esse de Fide. Quam ergo calumniose Ministri haec et similia Fidei Catholicae imponunt!

3. Nec est de Fide, *panem et vinum per consecrationem annihilari*. Probatur 1. Quia neutrum habetur in Tridentino. 2. (« Controversia vocum et non rerum est, *inquit bene Vasquez, disp. 183. cap. 1. qui addit*: Nonnulli Scholastici veram Transubstantiationem concedentes, docent panem et vinum, quae dicuntur converti, ita desinere, ut vere annihilentur; in hac sententia est Scotus, Okam, Gabriel, Major; quin, inquit, neque de hac re nimium contendendum est, sed unicuique liberum

relinqui debet . hoc aut illo modo loqui. Perantiqua tamen, *habet Vasquez*, *cap.* 2. Scholasticorum sententia quam libenter amplector, est dici non posse panem et vinum in hoc Sacramento annihilari »). In cujus probatione fusius est, cap. 2. et 3.

4. Longe longius a Fide sunt hae aliae quaestiones, quia etiam sunt extra Transubstantiationem particularem in Christi corpus de qua sola agimus, propositae et discussae a Vasquez, qui haec habet: Primo, disp. 82. (« An Corpus Christi praesens fieri potuerit huic Sacramento absque conversione panis in ipsum ») variae sunt Scholasticorum sententiae quas fuse refert cap. 2. disp. 184. An quaelibet res in quamlibet aliam converti possit, variae Scholasticorum sententiae. Probatur ex regulis datis nihil horum esse de Fide.

5. Quid ergo est, et in quo consistit haec Transubstantiatio? Non discedendum a verbis Trid. cap. 4. citatis, et ibi haerendum, *nec sapiendum plus quam oportet sapere*, *sed sapere ad sobrietatem.* Addam tamen quae conformiter huic capiti habet Vasquez, non quod statuamus quae infert de Fide esse; sed sufficit, quo quis sit Catholicus, Transubstantiationi hoc modo, aliis si placet refutatis, acquiescere: porro facillimum erit cuivis subscribere, nullam enim prorsus difficultatem habet doctrina Transubstantiationis sic docte explicatae: (« Explosis, inquit, disp. illa 18. cap. 11 aliorum opinionibus, superest, ut nostram sententiam, quam antiquorum Scholasticorum sine controversia esse censemus, in medium proferamus »).

(« Ea vero est, rationem formalem Transubstantiationis, neque esse mutationem, neque productionem alicujus rei, sed relationem quamdam ordinis, inter substantiam quae desinit, et eam in quam desinere dicitur, ex quo fit, ut haec conversio seu Transubstantiatio, nulli alii mutationi aut actioni omnino assimiletur. *Et cap. 12.* Memorandum quod supra diximus, talem esse significationem verborum consecrationis, ut vi significationis ipsorum, non solum fiat Corpus et Sanguis Christi praesens reipsa sub speciebus, sed etiam desinat substantia panis et vini; quia cum sint a Christo instituta, et

nomine illius proferantur, vera esse debent: vera autem esse non possunt, nisi efficiant Corpus et Sanguinem Christi praesentem sub speciebus, et destruant panem. Potuit adductio Corporis Christi, et desitio panis a Christo fieri alia forma verborum; cujus altera parte significaretur praesentia Corporis et Sanguinis Christi, altera vero desitio panis et vini, ut si Christus aut Sacerdos nomine Christi diceret, *Hic sit Corpus meum, et amplius non sit panis:* vel contra: *Hic non sit panis, et sit Corpus meum:* Et de Sanguine similiter. Quamvis autem tunc idem effectus fieret, qui nunc fit, quod attinet ad desitionem panis, et praesentiam Corporis et Sanguinis Christi, tamen non fieret eodem modo: neque enim tunc Christus aut Sacerdos diceretur, adducendo Corpus Christi, destruere panem, aut destruendo panem, adducere Corpus Christi: sed diceretur simul adducere et destruere: quia eodem modo desitio et adductio in re ipsa se haberent, sicut etiam in significatione verborum; in significatione autem ita se haberent, ut significatio unius, non esset causa significationis alterius; neque ad suam veritatem illam, ut quid consequens necessario postulant, sed simul tantum se invicem comitarentur, et per accidens seu comitanter, ut dicitur se haberent, sicut in ea forma verborum apparet: ut vero in forma qua nunc utimur ad consecrandum, illa duo sic se habent, ut unum tantum significetur, nempe Corpus, aut Sanguis Christi praesens (neque enim verba consecrationis significant desitionem panis et vini, ut patet) ita tamen ut vera significatio Corporis et Sanguinis Christi praesentis, necessario postulet desitionem panis et vini: ac proinde desitio necessario consequatur Corpus Christi praesens, prout illis verbis significatur: quo fit ut Sacerdos utens illis verbis, vere dicatur efficere praesens Corpus et Sanguinem Christi, et ipso corpore praesente vere significato destruere panem »).

Nam docet bene idem, disp. 180. cap. 4. (« Accidentia primarie saltem indicant propriam substantiam quamdiu ibi est, non autem alienam, et ita ostendens quodlibet corpus in quo Deus reipsa est, nemo vere enuntiare potest: Hoc est Deus; et si

Angelus esset in aliquo corpore, nemo ostendens corpus illud vere et proprie dicere posset: *Hoc est Deus*: *hoc est Angelus*; sed ut vere enuntient, dicere debet: *Hic est Angelus*, *et hic est Deus*; hoc est, in hoc loco aut corpore. Cum enim pronomen *hoc* demonstrativum, directum ad accidentia quae sentiuntur, non demonstret illa, sed substantiam sub illis, et propria haec substantia primarie, imo solum demonstretur; efficitur ut praesente propria substantia aliena nequeat demonstrari. E contrario vero si propria substantia sub accidentibus suis non sit, sed aliena, recte etiam, imo necessario, aliena demonstratur. Cum igitur Christus postquam accepit panem, vere enuntiaverit illud, quod sub speciebus offerebat, esse corpus suum; et accepto calice cum vino, illud quod sub speciebus illis offerebat, esse sanguinem suum, neque vere haec verba enuntiare potuerit, de ipsa substantia panis et vini, ut patet, neque de suo corpore et sanguine naturali, si cum substantia panis et vini sub propriis accidentibus illis simul manerent, ut probatum est; necessario fieri debuit, ut substantia panis et vini desineret, et sola substantia corporis et sanguinis Christi sub illis accidentibus maneret. Praedicta ratio, quod attinet ad destructionem substantiae panis et vini, de qua hic solum disserimus ») (nam de praesentia reali satis diximus) *efficacissima.* Uno verbo transubstantiatio nihil addit praesentiae Corporis Christi, *nisi desitionem panis* virtute significationis verborum, seu quo verba Christi sint vera; et nomine transubstantiationis, nihil aliud est intelligendum, ut patet ex dictis. *Conversio formaliter*, inquit Vasquez, disp. 181. cap. 12. (« est demonstratio quaedam Ordinis, in eo quod desinit relata ad id, quod fuit causa desitionis in hoc Sacramento, *quo verba sint vera*; et nihil aliud esse potest praeter denominationem Ordinis, *et quidem* extrinsecam et solius rationis, *seu praeter* relationem et quidem non realem »); sed rationis solius. Saltem certissimum est, tenere sic transubstantiationem, efficere quo sis Catholicus, quidquid sit de variis opinionibus quorumdam Scholasticorum rejectis a nobis supra.

Rogamus te quae difficultas, posito quod creda-

tur *Corpus Christi realiter esse praesens in pane*, seu sub symbolis *Eucharistiae*, credendi Transubstantiationem hanc? nulla sane.

6. Aut saltem doctrina Transubstantiationis sic exposita, non est legitima causa secessionis, seu posito ex Daillaeo Apol. cap. 7. quod credere (« Corpus Domini esse praesens in pane Eucharistiae, nullum habeat venenum, nec praejudicet pietati, nec saluti, ne quidem credentis id, dicendum certo transubstantiationem nullum continere venenum, nec praejudicare pietati seu saluti credentis illam ») ; cum ipsa nihil addat reipsa praesentiae nisi *desitionem panis*, quo verba Christi sint vera ; quae desitio non potest nisi ab emotae mentis homine censeri *praejudicare pietati* seu *saluti*, posito quod credere praesentiam illam non *praejudicet*. Unde recursus ex alio Daillaei principio supra relato sequitur : *Nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui non credit transubstantiationem ut jam explicatam.

§. 13.

De adoratione Eucharistiae.

Professio nostra nihil habet distincte de hac adoratione, quod sequatur ex praesentia Christi sub symbolis. Trident. autem de ea expresse sic sess. 13. can. 6. « Si quis dixerit in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum non esse cultu latriae etiam externo adorandum: adeoque nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit. *Et cap. 5. postquam cap. 3. assertum est*, verum Domini nostri Corpus verumque ejus Sanguinem, sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate, existere : et *Transubstantiatione, cap. 4. stabilita, docet inferenda, cap. 5.* Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christifideles, pro more in Ecclesia Catholica semper recepto, latriae

cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum; nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Psal. 96. v. 8. Hebr. 1. v. 6. *Quem Magi procidentes adoraverunt.* Matt. 27. *Quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur*, Matt. 8. v. 12. »). Hoc ergo est de Fide, quia propositum in Concilio universali. Unde e contrario sequitur nihil aliud de adoratione hac esse de Fide. Sequitur itaque.

Primo: non esse de Fide, imo meram putamque calumniam, eamque gravissimam, quod imponit Daillaeus doctrinae Ecclesiae Catholicae, eoque majori poena dignum crimen, quod doctrinam hanc nobis impositam statuit tanquam principem discessioni in religione, et proinde turbationi tum Ecclesiae, tum Imperii, in Apolog. cap. 9. subscripta ab aliis Ministris Maestrezatio, Drelincurtio, et Aubertino, et in Epist. ad Munglatium his verbis: (« Quaestio est, *inquit*, non quod oporteat adorare Corpus Christi in Eucharistia, sed quod oporteat adorare Eucharistiam ipsam, ut inclamo et protestor in titulo, principio, et medio, et fine, cap. 9. Apol. At magnum discrimen est inter has duas adorationes. Haec ultima defertur certo cuidam objecto subsistenti in loco quo dirigitur, scilicet substantiae relatae ab accidentibus panis et vini; quo fit ut praesupposito quod haec substantia sit quaedam creatura, talis adoratio ei exhibita, erit necessario servitium illicitum et prohibitum a Deo: cum tamen prima adoratio sit solum vana et inutilis, et cadat, ut sic dicam, in nihilum, errans, non quod deferatur objecto non adorabili, sicut facit alia, sed in hoc solum, quod errore quaerat eum, et putet se complecti ibi, ubi non est »). Ita Daillaeus, ultimam istam adorationem distinctam et aliam a prima, sed duas adorationes objectorum subsistentium sub symbolis, quod horremus, nobis affingens. Sed quod talis adoratio *non sit de Fide*,

patet. 1. quia non habetur in Trident. 2. Nullus nostrorum Doctorum finxit duplicem illam adorationem sic relatam a Daillaeo, duorum objectorum subsistentium, seu ultimam scilicet, *delatam certo cuidam objecto* subsistenti in loco quo dirigitur, nempe substantiae velatae sub accidentibus panis et vini, praeter adorationem primam delatam ipsi Christo. Quis Catholicorum, dico, haec objecta adorationis sub speciebus somniavit? nullus sane: et pestifere somniaret; nec adoramus *aliquid subsistens indefinite, quidquid illud sit*, sub speciebus, sed solum Christum creditum ibi esse; ergo calumniose id nobis affingit Daillaeus. Probatur 3. ex Responso doctissimae Facultatis Theologicae Parisiensis in haec verba: Petitur a DD. Doctoribus, respondeant: (« An factum contentum in pag. 63. epist. D. Daillaei, ad D. Munglat. anni 1634. sit verum. Subsignati Doctores Theologicae Facultatis Parisiensis respondent quod factum est falsum, et impositum Ecclesiae Catholicae, quae adorando Sanctam Eucharistiam, non credit ibi adorare aliud subsistens velatum ab accidentibus panis et vini, quam Jesum Christum; dicit anathema iis, qui ibi vellent adorare aliam quamcumque substantiam. Et falso supponitur ab auctore plus esse periculi in adoratione Catholici, quam Lutherani, quod Catholicus defert adorationem suam objecto non adorabili, et proinde ejus servitium necessario illicitum esse et prohibitum a Deo; cum verum sit, objectum quod Catholicus ibi adorat, esse Jesum Christum adorabilem, ubicumque est, et proinde in Eucharistia, in qua Ecclesia Catholica, post consecrationem, non cognoscit nec recognoscit aliam substantiam, quam Jesum Christum: quare nec aliam ibi adorat, nec potest adorare. Et si ex inconsideratione aut aliter, loco Eucharistiae, propositus foret panis non consecratus, Catholicus non intendit, nec credit adorare, nec posse adorare dictum panem; nec vult eum adorare, nec aliud subsistens quam Jesum Christum. 18. Aprilis 1643. Subsignati in Originali. *Jacobus Hennequin, Emmeretz, Perreret, du Fresne, de Minie, Chapelas, M. Cantat, Broussè, Judas, A. de Mauhy.* »). Quis vel

Deviorum ferat Ministros docrinam falsam Catholicam imponentes, et ea impostura scissionem foveutes tam noxiam Ecclesiae, saluti animarum et Imperio?

2. Haud longe dissimilis calumnia est, cum idem Daillaeus praeter adorationem Christi sub speciebus, fingit Apol. pag. 45. 46. 66. *nos adorare Sacramentum latria absoluta.* Quis Catholicorum *fingit duas adorationes absolutas*, unam *Christi in Eucharistia*, aliam *Eucharistiae* ipsius, sive *subsistentis* ficti a Daillaeo? Et cum dicimus nos *adorare adoratione absoluta Sacramentum*, intelligimus Christum ipsum sub speciebus, quem saepe *rem Sacramenti et Sacramentum*, quod ibi sit tanquam causa gratiae, solemus nuncupare; alias absit ut Sacramentum adoratione *absoluta*, quod sine idololatria non possumus, adoremus. Veneratio Symbolorum, de qua postea ut distinctorum a Christo, est omnium nostrorum sententia solum *relativa*, non absoluta. En aliam itaque vel similem praecedenti imposturam.

3. Non est de fide, imo nec verum, duas adorationes poni a Trid. sess. 13. cap. 5. alteram *Christi*, alteram *Sacramenti*, ut supponit Daillaeus. Quia Trident. non habet esse duas. 2. Recte Vasquez, disp. 109. cap. 3. *Cum*, inquit, *Trident. de adoratione Sacramenti Eucharistiae loquitur atque affirmat* latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione esse exhibendum, de («Cristo sub speciebus contento, *vel* de ipsis ut Christum continentibus loquitur; nam et ipsum Christum ad rationem Sacramenti pertinere multi recte arbitrantur; cum ipse sit res sacramenti, Sacramentum etiam dicitur; aut saltem species non dicuntur Sacramentum, nisi quatenus sub se corpus et sanguinem Christi reipsa continent »). Haec recte Vasquez. 3. Probatur. Quia habet Trident. *Latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione exhiberi.* At certum est cultum illum latriae esse *absolutum*, et certum etiam absolutum non deberi nisi Christo. 4. Quia addit Trident. *cultum illum delatum a Magis, etc.* Quis autem non videt cultum illum fuisse absolutum Christi ipsius, nec alium? 5. Infert illum *ex praesen-*

tia Christi, adorabilis ubicumque sit. Ergo nulla ibi mentio adorationis symbolorum. Quare Sacramenti nomine adorandi *latria absoluta*, Christus ipse sub symbolis intelligitur, qui sub illis etiam Sacramentum a nostris saepe dicitur, quod sit ibi significans et dans gratiam, uti jam diximus. Saltem quae dicimus, a nemine Catholicorum habentur; ergo saltem falsum est, *de Fide esse*, *duas* adorationes poni a Trident. *Christi et Sacramenti*, tanquam distinctas, seu ut duas: una et eadem varie et vario modo exprimitur.

4. De Veneratione symbolorum, quae sine dubio *relativa* est, non *absoluta*, non foret quod quidquam diceremus; de illa enim nihil dixit Daillaeus, nec ulla est peculiaris difficultas. Vasquez, 3. part. disp. 118. cap. 12. docet pluribus: (« Eumdem modum in Sacramenti Eucharistiae adoratione servandum, quem in Imaginum cultu: scilicet Corpus Christi in Eucharistia dignum esse adoratione latriae. *Quod pluribus probat*, *cap. 12.* Quomodo vero, *addit ibidem*, species ipsae Sacramenti *adorentur*, *seu venerationе dignae sint*, inter Scholasticos dissensio est; omnes enim eodem modo de speciebus Sacramenti, quod de Imaginibus Christi, *philosophari debent*, *cum sit utrobique terminus idem* formalis, *Christus scilicet adoratur*; non est tamen tam fervens affectus reverentiae erga Christum in Imagine, quam in Sacramento, *ob ejus in isto praesentiam*, et aliquo signo exteriori majorem hanc reverentiam erga Christum in Sacramento, quam in Imagine indicamus. *Species* sacramentales, *inquit idem ibidem*, sunt res inanimae, et secundum se capaces non sunt cultus et honoris, nisi quatenus conjunctae cum Christo quem continent. Quare adoratio nulla ratione in exterioribus accidentibus sistere potest, sed ad intima penetrare debet, nec adorantur accidentia, sed Christus contentus sub illis »). Relege quae diximus de Imaginum cultu, et hic applica eodem omnino modo, sicut ibi diximus, non esse de Fide Imagines ne quidem Christi *adorari*, multo minus *latria*, imo vel cultu *religioso* coli, multo minus *eodem cultu* quo prototypon; ita dicimus non esse de Fide species sacramen-

tales seu symbola *adorari*, multo minus cultu *latriae* coli, vel cultu *religioso*, vel eodem cultu quo Christus; nec proinde Sacramentum Eucharistiae, sumptum, ut saepe sumi solet, pro symbolis, signis, et speciebus.

Nec Catholicus ullus intendit sic adorare albedinem, et rotunditatem quam cernit oculis, sed solum Christum, quem non videt, credit tamen ibi contentum: symbola tamen, sicut vestem regis veneratur. Recentiores aliqui putant, inquit Vasquez, cap. illo 12. (« Gabrielem in ea fuisse sententia, ut diceret Sacramentum hoc, id est, species sacramentales, per figuram Synecdochen, hoc est, ratione Christi sub eo contenti, non autem proprie, adorari »): quod ipsemet Vasquez censet non improbandum.

5. Placet etiam ob multa alia conjuncta, addere istud ex Vasquez, disp. 109. cap. 4. (« Ex effectu latriae, qui dicitur adoratio, et circa exemplar primo versatur, derivatur nota exterior submissionis, quae communi modo loquendi dicitur honor, cultus, et adoratio ejus, quod corporaliter contingit, aut coram quo fit; ita ut per illud in prototypon transmittatur; at opus externum laudis, quo laudamus exemplaris excellentiam, opus etiam orationis, et sacrificii, solum dicitur communiter aut laus, aut oratio, aut sacrificium ad exemplar relatum, non ad Imagines; et ideo communiter nec ad Imagines, nec ad res inanimatas et adhuc per accidens haec omnia referri, sed coram illis fieri dicuntur. Idem quod de Imaginibus hactenus diximus, de speciebus et accidentibus sacramentalibus dicendum arbitror: ob eamdem prorsus rationem. Data opera dixi, de speciebus seu accidentibus sacramentalibus; nam si de Sacramento loquamur, cum aliquid illius sit Christus ipse, ut supra notavimus, sicut absolute dicimus ipsi latriam in spiritu exhiberi, sic etiam et orationem, et laudem divinam, et sacrificium, ad ipsum posse referri hac de causa fatendum est »).

6. Uno verbo, ut eodem honore regio, non duplici aut diverso, honoratur Rex sine pallio et cum pallio, aut rheda tectus; ridendumque se aulicis et

prudentibus exhiberet, qui Regi, absque pallio honorem redderet regium, palliato aut rheda tecto denegaret; et stultus omnino judicaretur, si hinc a Regia rebellis fugeret, ne palliatum aut rheda tectum colere cogeretur: ita ridendos. ne dicam stultos, se exhibent Devii, dum *Eucharistiam ipsam adorare*, idololatriae incusant, seu Christum vel ut palliatum et tectum symbolis (quomodo propositum Christum sub speciebus *Eucharistiam*, et Sacramentum *Eucharistiae* nuncupamus) horrent adorare, et propterea scissionem ab Ecclesia faciunt, neutiquam faciendum licite, seu non esse idololatriam, *si non adoretur Corpus Christi in Eucharistia*; seu si Christus seu extra Sacramentum, seu etiam in Sacramento adoretur; ut habetur in Epist. ad Munglatt. pag. 63. jam relata. O singularem stultitiam in hoc praecipue schisma facere ab Ecclesia Romana, quod tamen ex Ministris in hoc maxime fundatur, ut ex Apologia et Epist. ad Munglatt. supra citatis retulimus! Sane Christus seu nudus in praesepi, aut cruce, seu tectus vestibus, seu opertus caelo aut symbolis (quo in statu Christum ipsum Sacramentum Eucharistiae nuncupamus; et hoc sensu, nec alio Sacramentum hoc latria adoramus) eodem prorsus cultu adoratur. Riderent Devios, doctoresque nostros aulici, si quis haec regio honore applicata discuteret, et quali honore pallium Regis operiens Regem, aut in vestiario repositum, honorandum foret, multis clamoribus digladiaretur.

7. *Spectatum admissi risum teneatis amici?* Devios acriter, et tam multis decertantes *quali honore* seu *species sacramentales*, quae sunt pallii, seu opertorii instar, seu *Sacramentum*, id est, species tegentes Christum, et ut includentes Christum, seu Christus sic tectus, sit colendus, et an duplex sit honor, et praeterea alius sit relativus specierum, et qualis.

Vereor et ne aulici, cum ista tot subtilitatibus in scholis nostris involvimus, taciti subsannet nos; nec forsan immerito, cum non sine risu exciperentur applicata honore regio, in quo tamen est eadem omnino ratio, et similes prorsus formari circa illum possint difficultates, et moveri lites.

8. Attamen saltem, *si credere Christum esse realiter praesentem sub symbolis Eucharistiae, ejusque corpus sub iis creditum adorare in Eucharistia, nullum habet venenum, nec praejudicat saluti* illud credentis, et sic adorantis, nemo sanae mentis potest dicere *praejudicare saluti, aut venenum aliquod habere*, Sacramenti seu Eucharistiae adoratio, et quidem *latriae absolutae et summae*, modo a nobis explicato. Unde rursum sequitur, *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse*, qui dictam refugit *adorationem sacramento seu Eucharistiae* exhibere, ut patet ex dictis.

§. 14.

De sacrificio Missae.

Sic habet Professio nostra: *Profiteor in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis.* Et Trid. sess. 22. can. 1. (» Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit. *Et can. 3.* Si quis dixerit Missae sacrificium tantum esse laudes et gratiarum actiones, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactiouibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit »). Haec ibi de Fide, quia proposita a Concilio universali: a contrario nihil sequentium est de Fide.

Primo, itaque de Fide non est, sacrificium Missae esse Sacrificium absolutum, et non tantummodo commemorativum, seu relativum, veruntamen verum et proprium: sed et quae sequuntur, in quibus nutant Doctores, ut referam, non sunt de Fide. Probatur 1. Quia Tridentinum nihil de his rebus statuit, in quo non deerant viri doctissimi, qui scirent haec controversa esse in scholis. Probatur itaque.

2. Quia haec controvertuntur etiam inter Docto-

res Scholasticos, referente Vasquez, disp. 222. cujus vel soli capitum tituli sufficiunt nostro intento his verbis.

(,, Oblationem illam quae quibusdam verbis fit a sacerdote ad rationem sacrificii nullo modo pertinere, *cap.* 1. Neque fractionem, neque distributionem hujus Sacramenti ad essentiam sacrificii spectare, *cap.* 2. *De consumptione* hujus Sacramenti comparata cum sacrificio variae sententiae, *cap.* 3. Essentiam hujus sacrificii in sola consumptione non consistere, neque eam aptam esse ut ad aliquid horum a Christo institueretur, *cap.* 4. In sola consecratione hujus Sacramenti totam essentiam hujus sacrificii positam esse in universum probatur, *cap.* 5. Vera ratio sacrificii in consecratione posita, varie exponitur a Theologis, *cap.* 6. Eatenus solum in consecratione rationem hujus sacrificii positam esse, quatenus sacrificium crucis eo repraesentatur, testimoniis Patrum ostenditur, *cap.* 7. Essentia hujus sacrificii ex sola mortis Christi repraesentatione, optima ratione colligitur, *cap.* 8. Diluuntur objecta adversariorum, *cap.* 9. »). Ita varii varie sentiunt; proinde nihil horum est de Fide. Summa sententiae Vasquez habetur cap. 8. (Ratio sacrificii in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis formaliter posita est: ac proinde fit oblatio aliqua per quam absque rei oblatae immutatione vera et reali, Deus auctor vitae et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium dici debet. Hujusmodi autem est consecratio corporis et sanguinis Christi, absque reali immutatione ipsius Christi, ob solam repraesentationem mortis ejus; illa igitur vere et proprie sacrificium erit. Porro autem per solam repraesentationem mortis Christi in consecratione, ita significari Deum auctorem vitae et mortis, sicut per ipsam cruentam mortem Christi, manifestum est; nam commemoratio mortis Christi repraesentat, et quasi praesentem ,,) eam facit, denotat Deum, auctorem vitae et mortis, ac si tunc Christus in honorem Dei reipsa occideretur; atque adeo ad essentiam sacrificii in universum immutatio rei oblatae non requiritur, quia *commemorativum* sacrificium, sine illa esse po-

test, tametsi ad essentiam sacrificii *absoluti* necessaria sit, eo quod ratio formalis sacrificii, quae est significatio non in verbis sed in rebus, qua denotatur Deus auctor vitae et mortis, sine tali immutatione in sacrificio commemorativo reperiatur.

Est tamen valde observandum ad sacrificium commemorativum, quod vere et proprie sacrificium dicitur, non satis esse si solum sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo continens in se rem ipsam cujus mors repraesentatur; sic enim non diceretur res illa cujus mors repraesentatur, in sacrificium offerri, neque vere commemorativum sacrificium, quin potius signum tantum et larva sacrificii esset, et necessario requiritur ut ipse cujus mors repraesentatur, sit signum mortis sui ipsius: v. g. si vera esset sententia haereticorum, qui negant sub speciebus panis et vini Corpus, et Sanguinem Christi, et substantia panis et vini ibi esset, repraesentari quidem posset mors Christi, ut ipsi haeretici etiam concedunt, at Christus in sacrificium non vere et reipsa, sed tantum in figura offerretur. Nam quo pacto vere et reipsa in sacrificium offerri dici potest id, circa quod actio Sacerdotis offerentis non reipsa, sed tantum similitudine quadam, et in figura versatur? („ Caeterum cum ipsemet Christus sit sub speciebus panis et vini, et circa illum actio sacerdotis offerentis ipsa ita versetur, ut ipsemet per species panis et vini, ex modo peculiari quo a sacerdote consecratur, repraesentet cruentam et realem mortem sui ipsius, et ea repraesentatione denotet Deum auctorem vitae et mortis, quamvis non dicatur reipsa et vere, sed in sola figura et similitudine, occidi et mori; tamen vere, et reipsa immolari, et in sacrificium offerri dicitur »). Haec Vasquez. Quid facilius creditu *sacrificio vero et proprio*, solum tamen *commemorativo*, non *absoluto*, sic explicato?

2. Aut saltem, posito quod *credere Corpus Christi esse realiter* sub *symbolis panis*, *nec habeat venenum*, *nec praejudicet saluti credentis*, ex Apol. cap. 7. quis non dicet, *credere Sacrificium verum et proprium*, sed *commemorativum*, ut explicatum,

non habere venenum, nec *praejudicare saluti*? Ex quo rursus deducet, *bonum Christianum*, *nec ferendum civem*, *nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui non credit tale *sacrificium*, quod sufficit quo quis fit Catholicus, ut supra diximus in simili.

De *Propitiatione*, praeter jam relata ex Tridentino, habendum in explicationem ex eodem, quod habet sess. illa 22. cap. 2. („ Et quoniam in divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus Sacrificium istud, vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut si cum vero corde et recta Fide, cum metu et reverentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa; cujus quidem oblationis cruentae inquam fructus, per hanc uberrime percipiuntur, tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur »). Haec ibi. Quare ut haec sunt de Fide, ita nec plura sunt Fide credenda. Sicque quae blaterant adversarii contra *propitiationem*, facile diluuntur. Itaque.

Longe abest ut sacrificium Missae sit *propitiatorium*, sicut sacrificium crucis. Nam istud meritorium fuit redemptionis, seu remissionis peccatorum, et gratiarum omnium, quae nobis conferuntur, et omne meritum Christi in eo fuit consummatum, et hoc sensu fuit *propitiatorium*; illud vero esse voluit Christus, *veluti instrumentum*, inquit bene Vasquez, disp. 229. cap. 2. *quo meritum passionis suae nobis applicaretur*, ut et applicatur per Sacramenta, per fidem, et per bona opera: et hoc

sensu *propitiatorium* est, quomodo etiam fides, et pleraque sunt propitiatoria. Quid facilius creditu tali *propitiatione*? Et quae ibi derogatio propitiationi sacrificii Crucis?

2. Non nisi per *impetrationem* hoc conferre, et proinde nonnisi (» per impetrationem et mediate esse propitiatorium, *docet bene Vasquez, disp. 128. cap. 2. et 3. ubi probat* hoc sacrificium non habere vim instar Sacramenti Poenitentiae, *scilicet immediate*, non modo remittendi mortalia, sed nec venialia, vel conferendi gratiae seu justificationis augmentum, sed tantum mediate, *seu* vim impetrandi Patris auxilium, quo et a venialibus justificari, et in justificatione sua homo crescere possit, *seu impetrandi* spiritum poenitentiae et contritionis, per quam peccata nobis remittuntur ») aut alios sanctos motus animi, per quos *homo* possit crescere in justificatione. Hoc modo, scilicet *per impetrationem*, sunt propitiatoriae fides, oratio, etc. sed istae ex pietate et honestate operantis: illud virtute rei oblatae seu justificationis Christi: eodem modo scilicet per *impetrationem* bona etiam temporalia, *salus corporis, liberatio ab aegritudine aliqua, fructus terrae, et id genus alii effectus sunt hujus sacrificii*, quae etiam oratio impetrat. Quae ergo difficultas credendae talis *propitiationis*, et obtentionis talium effectuum?

3. Non semper certa lege, inquit idem Vasquez, ead. disp. cap. 4. (» sed aliquando virtute hujus sacrificii obtineri auxilium gratiae ob justificationem et bona temporalia, experimento compertum est. *Et ibidem addit idem*: Nam non semper remittit peccata eo modo, quo supra dictum est per ipsum remitti, neque semper virtute ipsius conferuntur alia auxilia spiritualia, neque semper bona temporalia intuitu illius a Deo impetramus »).

(» 4. Oblatione hujus sacrificii proxime, *seu immediate*, et semper certoque remitti poenam temporalem viventium, seu debitam eorum peccatis, et hoc etiam modo propitiatorium esse pro vivis, nulla ratione negari potest, *inquit Vasquez ibidem, et probat*: Quia cum sit causa particularis, per quam nobis applicatur meritum universale Passio-

nis Christi, *ut ex Trident. retulimus*, opus est ut illi aliquem effectum sicut etiam Sacramentis, certo tribuamus, tametsi pendeat ex dispositione ejus, pro quo offertur; nullus autem ei tribui commodius potest, quam remissio poenae, si quidem reliquos non semper confert (*ut jam ex ipso retulimus*). Reliquum igitur est ut effectus quem certa lege hoc sacrificium semper operatur, sit remissio poenae jam in viventibus, juxta cujusque dispositionem (*et hoc etiam nomine est* propitiatorium *pro vivis et defunctis* »). Addit tamen: *Quamquam ab Ecclesia definitum non sit.* Hoc ergo quod *certo semper*, *seu certa lege*, poena haec temporalis remittatur, non est de Fide.

5. Disputat Vasquez, disp. 229. (» Utrum omnes effectus hujus sacrificii, *tam pro vivis*, *quam pro defunctis*, dicendi sint ex opere operato, an non. Tametsi, *inquit*, Scholastici omnes, quod attinet ad rem ipsam, eodem modo sentiant, diverso tamen modo loquuntur, variasque Theologorum opiniones refert, *cap.* 1. Nec est idem, *inquit*, aliquid nobis donari virtute sacrificii ex opere operato, et certa lege conferri »). Non itaque est de Fide, sacrificium hoc praedicta operari *ex opere operato*; nam Trident. nihil habet de hac re, et Theologi diversimode hunc modum loquendi exponunt, de quo ibi fuse Vasquez.

6. De propitiatione ejusdem sacrificii *erga defunctos*, haec specialiter notanda 1. ex Vasquez, disp. 218. cap. 4. (» Defunctis sacrificium illud nullo alio modo prodesse potest, quam remittendo poenam temporalem, ut patet »).

2. Quod jam notavimus supra, *aliquos putare specialiter* de sacrificio Missae oblato pro defunctis, *non habere tantam efficaciam ut infallibiliter acceptetur*, *neque esse aliquod opus*, *quod ex opere operato liberare possit animas defunctorum a paenis lege certa et infallibili.* Et Vasquez ibidem, cap. 4. *Sotus*, inquit, Canus, et Corduba censent, sacrificium Missae circa vivos certa lege semper operari remissionem poenae; circa defunctos vero existentes in purgatorio, non item, sed illis solum ad hunc effectum valere per modum suffragii: vo-

cant autem per modum suffragii, quod solum prosit prout Deo placuerit illud acceptare, neque certa lege statuerit, propter illud defunctorum poenas remittere; sic arbitrantur effectum sacrificii Missae circa defunctos non esse ita certum, sicut circa vivos.

7. Longissime est a Fide, valorem hujus sacrificii esse infinitum, de quo Vasquez, disp. 130 cujus caput 1. inscribitur, valorem et virtutem hujus sacrificii finitam esse, non pauci Theologi autumant.

8. Hac secretione facta doctrinae Fidei, ab ea quae non est de Fide, quam facile est credere *Sacrificium Missae* esse propitiatorium pro vivis et defunctis! Patet etiam ex ea, quam multa Ministri affingant falso doctrinae Fidei Catholicae, schismati et divisioni, ex qua vivunt, fovendae.

9. Sed esto, difficultas aliqua maneat; saltem doctrina haec Fidei sic exposita *nullum habet venenum*, *nec praejudicat pietati et saluti credentis illam*, posito quod credere *Corpus* Christi esse realiter praesens in panis symbolis, nullum habeat venenum. Unde rursus sequitur *nec bonum Christianum*, *nec ferendum civem*, *nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui huic doctrinae non subscribit.

§. 15.

De Papa, ejus primatu et auctoritate.

Confessio nostra hoc solum habet: *Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo* ac juro. Ex Trident. sumptum, sess. 25. in quo nec plura. (« Sancta Synodus Pastores omnes obtestatur, ut illa omnia, quae sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra statuit, quibuscumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur ut illis omnibus sint obsequentes. *Et in singulis fere sessionibus habetur*: In Tridentina Synodo praesidentibus tribus Apostolicae sedis Legatis »).

Sed explicatius in Concilio Florentino, in definitione Synodi: (« Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur »). Hoc ergo est de Fide, quia propositum a Concilio universali: sed nihil aliud est de Fide, nec aliter, quia neutiquam propositum a Concilio universali, hoc praesertim in quo Graeci et Latini consederunt, et exactissime potestas haec fuit a Graecis praesertim discussa.

Quare 1. non est de Fide, Pontificem Romanum docentem aliquid, sive in Concilio particulari, sive in Synodo Provinciali, etiam cum alloquitur totam Ecclesiam, seu cum ex cathedra, ut ajunt, loquitur, dum extra universale Concilium doceat, esse *Judicem supremum controversiarum*, aut esse infallibilem; nec quod sic definitum foret, esse de Fide, Ecclesiae nisi aliunde sensus totius constaret. Probatur 1. quia id non habetur in Tridentino, aut Florentino, aut in ullo Concilio universali; quinimo, in professione nostra, et in Tridentino, sess. 4. de sola Ecclesia dicitur: cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sanctarum Scripturarum. 2. Quia nullus doctorum hucusque, nec ipse Bellarminus id esse de Fide Catholica censuit. 3. Quia inter Doctores Catholicos varii varia sentiunt, ut relatum supra etiam ex Bellarmino, tom. 1. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2. (» Ubi secunda opinio est, *inquit*, Pontificem etiam, ut Pontificem, posse esse haereticum, et docere haeresim, si absque generali Concilio definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem secuti sunt aliqui Parisienses, ut Gerson et Almain, Castro et Adrianus VI. Papa. Qui omnes non in Pontifice, sed Ecclesia, sive in Concilio Generali tantum, constituunt infallibilitatem Judicii, in rebus Fidei»):

Et *haec opinio*, addit ipse Bellarminus, *non est proprie haeretica*; *nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari qui illam sententiam sequuntur*. Quod autem ipsemet durus censor subjicit, *tamen videtur omnino erronea*, *et haeresi proxima*, non satis firmo fundamento dicit; sed potius probabilis est illa opinio, tum ob auctoritatem tantorum Doctorum, etiam Adriani VI. Papae (nondum tamen provecti ad illam sedem, cum haec scripsit) qui rexit Ecclesiam paulo ante Tridentinum; tum quia in Tridentino nihil de hac re dictum. Denique si quid rationes Bellarmini valerent, probarent Papam, etiamsi aliquid *solus* definiat, aut *solum opinionem suam declaret aliis*, aut *particularibus solum*, *non toti Ecclesiae* respondeat, infallibilem esse, quaeque sic docens pronunciat, *esse de Fide*; quae tamen ipsemet Bellarminus negat, et concedit Papam in his casibus *posse errare*, *et de facto errasse*, ut retulimus supra. Quia testimonia allata a Bellarmino loquuntur universaliter, ut patet ex eorum relatione etiam ut facta a Bellarmino; ergo si quid probarent, contra Bellarm. probarent.

Quaeret forsan aliquis, quid in hac quaestione probabilius censeam? Respondeo, quaestionem hanc, diversionem esse a proposito nostro; nec proinde mihi illi respondendum esse. Doctorem solum ago Catholicum, non scholasticum. Cum itaque nihil de hac re doceat Ecclesia, nec ego debeo quidquam docere: nec Devius, quo Catholicus fiat, quidquam scire; abstrahat ab his quaestionibus, seu ignoret haec; sufficit illi, quo sit Catholicus. Addo tamen ex abundanti, liberum illi esse utramvis, prout placuerit, quippe nullo Fidei praejudicio, sententiam sequi, utpote probabilem utramque. Sed utcumque sit, verissimum est, id quod manat a sede tantae auctoritatis, esse cum magna veneratione suscipiendum. Fuse haec jam diximus et statuimus supra.

2. Non est de Fide, Papam esse supra Concilium universale, seu supra Ecclesiam totam reliquam; sicut nec etiam Concilium aut totam Ecclesiam reliquam esse supra Papam, seu quocumque modo quaestio bene proponatur. Probatur 1. quia nihil horum habetur in professione nostra, nec in Con-

ciliis universalibus, Trid. Flor. aut aliis. 2. Concedit id expresse Bellarm. ipse, jam supra relatus. (« Non sunt, *inquit*, *tom. de Concil. lib. 2. cap. 17.* proprie haeretici, qui sentiunt Pontificem non esse supra omnia Concilia, et supra Ecclesiam universam, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat; *et fatetur* dubium saltem esse, quod Lateranense ultimum Concilium, sub Leone X. sess. 11. id definierit proprie ut decretum Fide Catholica tenendum »). 3. Probatur et explicatur magis: Quia variae hac de re sunt Doctorum sententiae, etiam referente Bellarm. Tomo 1. de Concil. lib. 2., cap. 14. quod vel solum sufficit, probando id non esse de Fide Catholica, cui soli pelliciendis Deviis scribimus. Sic itaque habet Bellarm. cap. illo 14. (« De proposita quaestione tres invenio doctorum sententias. Prima est, Concilium esse supra Pontificem. Id quod asseruut Cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson, Jacobus Almanius, et alii nonnulli, in suis Tractatib. de potest. Eccles. Item Nicolaus Cusanus, Panormitanus et Magister ejus Card. Florentinus. Abulensis, et quidam alii (*locis a Bellarmino relatis*). Ut autem haec sententia intelligatur, notandum est duo esse fundamenta hujus opinionis. Primum est, Papam non esse proprie caput Ecclesiae universae simul congregatae. Id quod non eodem modo intelligunt haeretici, et alii auctores: haeretici enim volunt Papam nullo modo esse caput Ecclesiae totius, sed tantum Episcopum suae Ecclesiae particularis, et ad summum Patriarcham occidentis. At alii auctores docent Papam esse caput et Pastorem singulorum Christianorum, et singularum Ecclesiarum si seorsum sumantur, non autem totius Ecclesiae simul congregatae in Concilio Generali; tunc enim Ecclesia accipit quasi formam corporis; et tota potestas quae erat sparsa in variis membris, ibi unitur: ita ut comparare Papam cum caeteris Christianis seorsim sumptis, sit comparare membrum nobilissimum cum minus nobili; at comparare Papam cum Conciliu, sit comparare partem cum suo toto, et proinde minus cum majore. Et ne dicamus Concilium sine Papa non esse totum perfectum, sed corpus sine capite; addunt secundum

fundamentum, quod est supremam Ecclesiasticam potestatem esse tam in Concilio, quam in Papa; sed in Concilio principalius, immediatius et immobilius. Dicunt enim Christum immediate omnem potestatem solvendi et ligandi tribuisse Ecclesiae, et cum Ecclesia semper duret, immobiliter in ea semper manere hanc potestatem; quia tamen non potest Ecclesia semper congregata manere, et exercere hanc potestatem per se, instituit Christus Summum Pontificem, tamquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiae, et in eo posuit hanc potestatem summam, ut eam exerceat nomine Ecclesiae. Differunt quidem inter se hi auctores; quod aliqui ponant hanc potestatem formaliter et subjective in solo Pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam ut in fine, quia est propter Ecclesiam, et ut in Regulante, quia Ecclesiae est regulare et dirigere Papam, cum ipsa non possit errare, *Papa autem possit*; et denique ut in supplente, quia deficiente Papa propter mortem naturalem, vel civilem, Ecclesia supplet ejus officium. Alii vero volunt esse formaliter et subjective, principaliter in Ecclesia, instrumentaliter in Pontifice; conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant hanc potestatem immediate in Ecclesia; et proinde mortuo Papa, vel deposito, vel nolente adesse Concilio, Concilium non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, et habere potestatem papalem definiendi de Fide, sanciendi leges, dandi Indulgentias, etc. Ex quibus deducunt Concilium esse supra Papam, et posse ipsum judicare et punire; et idem esse quaerere, an Papa sit major Concilio, ac si quaereretur an pars sit major suo toto. Denique volunt Papam esse in Ecclesia id, quod est Dux Venetiarum in Rep. Veneta; vel Magister Generalis in aliqua Religione; constat enim Ducem Venetum esse supra singulos Magistratus et esse supra singulos Senatores, et civitates Venetas, non tamen supra totum Senatum simul collectum; et quando moritur Dux, certum est totam auctoritatem etiam Ducalem, esse in Senatu. Quomodo etiam Magister generalis est supra singulos Religiosos, etiam Priores, et Provinciales, tamen non est supra congregationem generalem, cum

ei parere debeat, non imperare. 2. Opinio est aliquorum Canonistarum qui volunt quidem Papam esse supra Concilium, et a nemine judicari posse invitum; tamen posse ipsum sese subjicere Concilio, et dare illi supra se potestatem; et si hoc fecerit, acquiescere debere sententiae Concilii, etiamsi de ipsius depositione ageretur. Ultima sententia est fere communis, quod videlicet Papa adeo sit supra Concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententiae; si proprie de sententia coactiva agatur. Ita Turrecremata, Cajetanus, Ferrariensis, Turrianus, Sanderus, etc. »). Haec Bellarminus. *Quare nihil horum est de Fide*, hoc ipso quod varii varia sentiunt, nullo haeresos insimulante dissidentes a propria sua sententia. *Quaestio haec*, inquit Bellarminus de Concil. lib. 2. c. 13. (« exorta est tempore Concilii Pisani, Constantiensis et Basiliensis: coeperunt Patres quaerere, an tenerentur obedire Pontifici, an Pontifex potius teneretur obedire ipsis, id est, generali Concilio; tum plurimi in eam sententiam iverunt, ut Concilium esset supra Pontificem; usque ad hanc diem, quaestio superest etiam inter Catholicos »). Quod omnes hae opiniones, et prima etiam, sint probabiles, et proinde cuivis liberum sit, etiam nunc absque ulla censura, quam velit sequi, et proinde amplecti, si vult, *primam*, Probatur 1. ex auctoritate tam gravium Doctorum, qui eam secuti sunt, Gersonis, Almaini, etc. 2. ipsamet suis librata ponderibus, ut audivimus expositam, referente ipso Bellarmino per se satis prudens apparet, et natura corporis et capitis fundatur. Ergo probabilitate non caret. Et bene Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. (« Quando videmus fundamenta omnia et rationes, Doctores oppositae sententiae vidisse et considerasse, et ad eas aliquo modo respondisse, nec eis convictos fuisse ») probabilem manere sententiam illam judicare debemus. 3. Ex exemplo Magistri generalis, quod clarum est: nec enim refert a quo Papa habeat potestatem tanquam a causa efficiente; nam causa efficiens non mutat rationem formalem capitis comparati cum corpore. 4. Nihil habet Bellarmin. quod facile solvi non possit. Nam nec testimonia Conciliorum, ne

quidem verba Lateranensis ultimi, sess. 12. relata a Bellarmin. nec Patrum quos producit, quidquam sonant expresse contradictorium primae illi sententiae, ut ex lectione patet. Omnia et singula solum probant quod de Fide est, et habetur in Fide Concilii Florentini, *Papam esse caput Ecclesiae*; nec quidquam de contentis in prima sententia damnat, nisi ad summum per consequentias deductas inde a Bellarm. quae non sunt Conciliorum aut Patrum, et facile est cuivis eas negare. Sane nec Concilia nec Patres, ad hoc vel ut Juris apices unquam descenderunt. 5. Vel solum Synodi Florentinae et Tridentinae super has difficultates non ignotas Episcopis et Theologis, silentium, testimonium vidétur positivum probabilitatis retinendae pro illa prima sententia. Cur enim post tot hac de re motas quaestiones in Conciliis Constantiensi et Basiliensi siluerunt? Quare sine fundamento sufficiente pronunciavit Bellarminus, *a temeritate magna excusari non posse qui primam illam tenent* opinionem, et contraria *esse fere de Fide*, et ejus censura potius censura digna foret, qui sic tali audet censura notare Doctores tam graves, quos ipsemet pro prima illa sententia citavit, Cardinalem Cameracensem, Almainum et Patres omnes Concilii Constantiensis, et Basil. etiamsi spectentur ut particulares Doctores; cum praesertim post haec tempora, nullum Concilium generale contrarium pronunciaverit, ut jam diximus. In Concil. Constantien. Tom. 3. pag. 849. sess. 4. Sic habetur: (« Declarat Synodus quod ipsa Synodus generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, et extirpationem schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris »). Idem in Basil. sess. 32. et 38. habetur. Num tot Patrum et Basiliensium auctoritas sufficit fundandae huic doctrinae saltem probabiliter? Equidem Vasquez et omnes fere Theologi, docent *probabilem* eam opinionem dici et esse, *quae suos habet* auctores et patronos doctos et prudentes, qui eam ut probabilem amplectuntur 1. 2. disp. 62. cap. 4.

Quod si quis quaerat, quid mihi videatur probabilius? Respondeo ut respondi in simili de infallibilitate Papae; sed neutram harum quaestionum pluribus licet agere.

3. Longe longius abest a Fide, *potestas indirecta Papae in temporalia, seu Pontificem, ut Pontificem*, etsi non habet ullam mere temporalem potestatem, *tamen habere, in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, et proinde posse mutare regna, et uni auferre, et alteri conferre, tanquam summum Principem spiritualem, si id judicet ad salutem animarum necessarium, aut posse abrogare leges Principum aut condere.* Probatur. 1. Quia nihil horum habetur in professione nostra, aut Tridentino, aut alio universali. 2. Nullus Doctorum id dicit esse de Fide, ne quidem Bellarmin. 3. Ignota haec fuisse omnia Patribus et Conciliis primorum seculorum, evidens est; nec enim Papae Liberius Constantium, Damasus Valentem, et nec idem Liberius Julianum etiam apostatam, regno deponere vel cogitarunt. 3. Ne quidem omnes praxes Ecclesiae universalis sufficientes sunt fundando articulo Fidei, ut supra diximus, quod releget lector, et his applicabit; multo minus praxes recentiorum aliquot Pontificum sufficit praxi quod fundetur in opinione probabili ex judicio sic agentis, et aliorum multorum, ut ibidem adnotavimus. Hinc contra hanc praxim possunt esse opiniones probabiles. Sane in hac materia praestaret silentium loquacitati, eo praesertim quod cum occurreret occasio, parum ad rem referret discussio hujus quaestionis speculativae, cum facile foret solum *minorem propositionem* discutere, scilicet, deposito contendente hic et nunc non esse sufficientem causam depositioni, quidquid sit de generali illa potestate; certum enim inter omnes est, saltem nonnisi ex gravissima et justissima causa, depositiones has esse attentandas; et qui in tali casu non praestaret armis, lite de facto caderet intentata; et meo quidem judicio, crimen deberet esse particularibus, de his statuendo quidquam pronunciare, cum sit semina discordiarum inter Papam et Reges

bene consentientes spargere. Ob quas etiam vel similes rationes praestat, nec de duabus praecedentibus quaestionibus agere. Satius est sequi Concilium Tridentinum, quod de his omnibus siluit; *nec sapere plusquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Paulo id prudenter admonente, Rom. 12. 3.

§. 16.

De Judice controversiarum.

Sic habet professio nostra: *Sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est* judicare *de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto*; *nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.* Et Trident. sess. 4. (» Decernit Synodus ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus Fidei, et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, contra eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est *judicare* de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat »). Haec, nec plura Concilium. Quare ut doctrina his contenta est de Fide, et quod ibi praescribitur sequendum, quia propositum a Concilio universali: ita a contrario nihil aliud est de Fide in hac materia, nec oportet plus sapere, quam sapnit Concilium. Itaque.

1. Ut concilium abstinuit a termino *infallibilitatis in Ecclesia*, etiam universali, in doctrina Fidei et morum, ita licitum cuique ab eo abstinere. Quinimo ut utile est uti hoc termino, quippe apprime significativo, tum in scholis, tum in Concionibus erudiendo populo, ita praestat abstinere in collationibus cum Deviis.

2. Quia terminus iste non est *Conciliaris*, non enim in ullo Concilio reperitur, ut nec in Scriptura; cur ergo eo, praesertim exoso adversis, utemur? Difficiliorem eis reditum ad Ecclesiam sic reddemus, et probationem ejus quod injecerimus?

Transubstantionis nomine utitur Tridentina Synodus, sess. 13. can. 1. et cap. 4. Eo itaque nobis utendum, et non solum res eo significata credenda: at non usa est termino *infallibilitatis*; nec nos ergo utamur, nec sapientiores in Fidei rebus simus Concilio. Et si devius quid sentiendum sciscitetur, respondeamus sufficere illi obvolvere id silentio, et ignorare id posse quod Tridentinum, non docuit.

3. Res significata per ipsum terminum *est de Fide*, dummodo nihil aliud eo termino significetur, nisi quod habet Tridentinum, *Ecclesiae esse judicare de vero sensu Scripturarum*, et de qualibet mota controversia, eique assentiendum, et ejus sensum *admittendum*, quae nunquam errat *ob assistentiam Spiritus Sancti, ei promissam*. Joan. cap. 14. 16. 26. et cap. 16. 13. *qui errare non potest*; nam *impossibile est mentiri Deum*, Hebr. 6. v. 18. Si quid aliud Scholasticus nomine *infallibilitatis* significet, ut saepe saepius ingerit subtiliter, *non erit de Fide*, quidquid illud sit, sive certissimum, sive probabile, et subtilitatis Scholae proprium nec simplicitati Fidei aptum, Scholis denique continendum, neutiquam Deviis in castra Catholica reducendis proponendum; et si quaerunt illi, *quid in hac re sit illis sentiendum, quo fiant Catholici*; Respondendum, silentem de iis Ecclesiam debere imitari, et sine praejudicio Fidei haec posse ignorari; *non plus sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Rom, 12. v. 3. Nos Ecclesiae nomine nihil debere docere, nisi quod docuit; cum in Castra Catholica transierit Devius, nos illum, si sequi libuerit, in Schola ducturos, et subtiliora esse docturos. Sane similis, vel fere similis est haec quaestio, illi Scholasticae, *An praedestinatus possit damnari, et reprobus salvari*. Ut enim Ecclesia non est Ecclesia, nisi habeat assistentiam Spiritus Sancti qui est *infallibilis*, et proinde Ecclesia per ipsum est *infallibilis*; ita praedestinatus non est praedestinatus, nisi cum *praedestinatione*; itaque sicut posita illa, seu ut loquimur in Scholis, *in sensu composito*, quia Deus non potest non perducere ad effectum quod statuit, *non potest damnari*; *in sensu tamen diviso*, ut loquuntur nostrae Scholae, *potest* damnari; ita

Ecclesia *in sensu diviso*, posset errare, sed in tali casu non foret Ecclesia, sicut in simili casu non foret *Praedestinatus*: *in sensu vero composito non potest errare*. Sed quis non videt haec nimis subtilia, esse extra septa Fidei, seu non esse de Fide mixtis his subtilitatibus, et proinde continenda intra Scholas? Contineamus ergo nos intra terminos Tridentinos, nec aliud tanquam de Fide proponamus. Facillima sane erit probatio dogmatis nostri sic propositi, et ei facile Devius subscribet. Cur viam reditus sentibus et dumetis obsidemus, ne facilis sit reditus?

4. Non est de Fide, Deum vel Scripturas non esse *Judicem controversiarum*, sed *Ecclesiam solam*; imo proclamandum, quod pellicit Devios ad nos, *Deum esse primum et summum judicem*, *et Scripturam esse judicem et* quidem *potiorem* Ecclesia; quippe cum illa contineat Verbum Dei, hujus locutio sit humana seu hominum. Probatur 1. Quia nec Professio nostra, nec Tridentinum denegat Deo, vel Scripturae hanc dignitatem judicis. Imo Christus, Joan. 12. v. 48. *Sermo quem locutus sum*, *ille judicabit eum in novissimo die*. Ut et Joan. 7. 5. *Lex nostra judicat hominem*, etc. Et bene Suarez, Tract. de Fide, disp. 5. sect. 2. (Regula Fidei est vel inanimis, vel viva animata: prior est Scriptura et traditio; viva et loquens est Ecclesia, Concilium generale, et Episcopus Romanus; et ita resultant quinque Regulae»). Idem repetit saepius, sect. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Ubi, tum alibi, indiscriminatim Scripturae seu Verbo Dei, et Ecclesiae, judicium de controversiis adscribit, et cum eo alii Theologi post Augustinum, lib. de Unit. Eccl. cap. 2. et alios Patres frequenter. 3. In more positum est dicere litigantibus, *lex judicabit*. Quidni ergo idem dicemus de Scriptura? 4. Quod subtilius dicimus in Scholis, legem esse *Regulam*, ex qua *Judex judicat*, legem autem proprie non judicare, quia non potest audire contendentes, unaquaque parte ad se eam attrahente; ita scripturam: est extra simplicitatem Fidei, et proinde non est cum illa subtilitate de Fide, sed intra septa Theologiae coercendum.

5. Non est de Fide, ut jam diximus, Papam extra Concilium Generale, esse *Judicem* summum controversiarum: nec etiam extra illud *esse infallibilem in judicio ferendo de rebus Fidei, aut morum*. Patet quia nec est in Professione nostra, nec in Trident. et haec jam ostendimus. Atque haec satis *de Regula Fidei, et secretione ex ea doctrinae Fidei Catholicae a Scholastica, quibusvis opinionibus, et popularibus erroribus, in omnibus controversiis hoc seculo motis.*

Finis Tomi Quarti.

INDEX

PARS SEPTIMA

SECTIO III.

De Justificatione, et Merito.

De Fruitione Salutis per Christum partae post vitae humanae exitum.

PARS OCTAVA.

FINIS.